

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 93, [1] - -

PUBLIC DOMAIN


Leibn. Marg. 93

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 93, [2] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 93, [3] - -

PUBLIC DOMAIN

Leibnitius hunc librum pro Principe Neoburgico scriptum, Dantisci (non Vilnae) publici juris fecit, ut ipse plurimus declarat in epistola ad Ferdinandum Orbanum, Electoris Palatini Sacellanum. Vide Leibnitii Opera omnia, cura Ludovici Dutens, T. V. p. 196. seq.


Totum libellum recudi curavit laud. Dutens T. V. P. III. p. 522. seq.

Ceterum praesens exemplar ipsius Leibnitii fuit, quaque hic illic mutata, deleta & addita videmus, ab ejus manu profecta sunt, testis ius quae in fronte exstant.


Hujus libelli etiam meminit Eckhardus in vita Leibnitii, cujus Hr. von Murr im Journal zur Kunstgeschichte, P. VII. p. 141.

Niedersächsische Landesbibliothek Hannover Am Archive 1

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 93, [4] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 93, [5] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 93, [6] - -
PUBLIC DOMAIN

Leibn. Marg. 93

SPECIMEN DEMONSTRATIONUM POLITICARUM PRO ELIGENDO REGE POLONORUM

Novo scribendi genere ad claram certitudinem exactum,

Auctore
GEORGIO VLICOVIO
LITHVANO.
sub hoc nomine latet
Godofredus Guilielmus Leibnitius

Vilnæ cIↃ IↃc LIX.
(Gedani)

Signatur: Leibn. Marg. 93, [7] - -
PUBLIC DOMAIN

BIBLIOTHECA
REGIA
HANNOVERANA

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 93, [8] - -

PUBLIC DOMAIN

PRÆFATIO.

RAram novámq; scribendi rationem affero, Lectores, cui utinam tam par essem ego, quàm ipsa materia digna est! Controversia, quâ nunc per orbem ingenia exercentur, á cujus eventu Europæ fata dependent, dedignari mihi visa est, sive inanes Oratorum argutias, sive humi repentes scholasticorum Syllogismos. Venit in mentem masculum illud, breve, & torsum, & ipsa subtilitate cultum Orationis genus, quo se Hippocrates collegit, quo Euclides astinxit, quo Aristoteles contorsit, quo admirabilis Jure consultorum veterum in Pandectis brevitas se diffudit. Sed ipsam connexionis formam á Mathematicis petendam censui, qui soli propè mortalium nihil dicunt, quod non probent. Etiam nunc nostro sæculo certitudo earum artium bo-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 93, [9] - 3
PUBLIC DOMAIN

no generis humani, exundare in cæteras scientias cæpit. Princeps Galilæus reseratis motuum claustris, naturalem scientiam novâ fœcunditate irrigavit. Hujus exemplo Cartesius altiorem in Metaphysicæ sublimia aquæ ductum, impari tamen successu, molitus est. At ~~uri~~ ingeniosissimus, Thomas Hobbes Anglus (cui Hugonem Grotium materiâ magis quam methodo jungas) inter plana & abrupta medius Philosophiæ civili se infudit. Quæ cum duabus partibus constet, justo & utili, priorem ille persecutus est, utinam tam verè quàm acutè! Posterior novos cultores, & solito nervosiores expectat. At vero posterior sola est, ex qua grandis illa Polonicæ Electionis quæstio pendet. Neq; enim quisquam nunc tam audax est, ut jure sibi Coronam asserat. Utilitatis specie animis illabuntur Candidati;

pars invenit utraq; causas.

Jupiter

Jupiter ipse duas æquato examine lances
Sustinet, & fata imponit diversa virorum.

Me verò incuriæ humanæ admiratio percutit: qui motus corporum ad calculos revocamus, iidem motus animorum nobis intimos, nec minus certa lege constantes, obiter percurrimus; de horologio aliquo demonstrationes, de salute tot populorum declamationes habemus. Ergo impetum sumsi, eo in campo ~~certitudinem humanam~~ methodum periclitandi,

quem nulla pedum vestigia signant.

Nemo idem primus optimus q3 est, levis armaturæ milites exploratum mittuntur; Successus meus audaciæ melioribus, lapsus cautioni erit. Si superbum putas, intătá re ~~certitudinem~~ aliquid polliceri, incomparabilis Baconi Verulamii Angliæ Cancellarii eleganti sententiâ me tuebor. Quisquis libero manuum impetu rectissimas semper lineas, æquabiles circu-

los,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 93, [11] - 5
PUBLIC DOMAIN

los, regularissimas omnis generis figuras describpturum seprædicat, is profectò magnum aliquid promiserit. Sed qui regulâ, qui circino, qui normâ adhibitis idem præstare profiteatur, ille, opinor, non admodum jactator erit. Ita si ab ingenio acri, á repentino cogitationum ardore hæc sperem, inducetur præstantiæ comparatio. Nunc contractis in arctum spatiis, septis itineribus, continuò etiam nexorum sibi Soritarum filo vestigia regenæ, quid mirum est, etiam in labyrintho, etiam à cæco non vacillari? Id verò filum mihi ipsa demonstrandi forma est, perpetuâ rationum catenâ constans & implicantibus sese propositionum annulis innexa. Ausim dicere, â me primò sic scribi. ~~Nam nec~~ Geometræ ~~eum~~ facile in demonstrando rigorem tenent, materiæ evidentiâ sermonis hiatum supplente. At in civilibus, tam variè contortis, nemo, nisi â summa severitate ratiocinationis, certitudi-

in istis

titudinem speret. Dedimus tamen auribus aliquid, & de re nihil, de vocum geminatione nonnihil remissimus. Exemplo res declaranda est, demonstravimus prop. 14. omne turpe periculosum esse (*seu, ut ait Petronius: intuta quæ indecora*) *hunc in modum*:

Omne turpe honorem *minuit.*
Honor *est* opinio potentiæ
Qui minorem potentiæ opinionem habet, ~~habet~~,
~~*Lædi facilior*~~ *habetur.*
Quod facilius habetur, id minus molestum factu habetur.
Ergo libentius fit.
Esse verò, qui libenter nos lædat, periculosum est:

Si majoris novitatis specie & chartâ & patientiâ lectoris abuti maluissemus, sic staret demonstratio:

Omne turpe honorem minuit
Quod honorem minuit, opinionem potentiæ minuit. *Quic-*

cm 1 2 3 4 5 6 7
GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 93, [13] - 7
PUBLIC DOMAIN

Quicquid opinionem potentiæ minuit facit lædi faciliorē haberi.

Quicquid facit lædi faciliorem haberi, facit læsionem minus molestam factu putari.

Quicquid facit læsionem minus molestam factu haberi, facit læsionem libentius fieri.

Quicquid facit læsionem lubentius fieri, id periculosum est:

Ergo omne turpe periculosum est. *Vides multùm chartæ, certitudini nihil, nihil evidentiæ addi, dummodo non huic detrahatur. Cæterùm illud affirmare non dubitem, si quis hac ratiocinandi viâ perpetuò ingressus fuerit, suspenderitq; eousq; judicium, quod tamen affectus nobis rarò permittunt,* artem non facilè errandi *facilè asseçuturum. Ego quæ hic demonstrata sunt, mihiipsi primùm persuasi, â lectoribus, maximè quorum interest, non nisi attentionem*

&

& tranquilitatem postulo, qualis quum scriberem, mihi fuit. Illudenim audeo profiteri, nulli me Candidatorum beneficio aut injuriâ cognitum, quæ consului & Poloniæ necessaria, & Europæ salutaria credidisse. Si quis dissentit, idenim prohibere, ne in Archimedis quidem fuit potestate, is si partem vellicaverit, si objectiones moverit, nisi parem argumentandi rigorem attulerit, nisi retexuerit telam, & labentem in nodis hiatum detexerit, sciat, se nihil egisse. Unica demonstratio onere nos levat mille objectionibus respondendi. Interea vale, Lector & pro salute Poloniæ, Christianorum antemuralis, DEUM O: M: mecum deprecare.

PROPOSITIO I.

„ Bonum Reipublicæ cum
„ bono Nobilitatis in Polo-
„ nia jure coincidit.

IN Comitiis Poloniæ, ſuffragia jure in Nobilitatis poteſtate ſunt.

Magiſtratus Urbani: Cracovienſis, Vilnenſis, & Dantiſcanus, Nobilibus comparantur.

Ergo & Comitia.

Comitia Rempublicam repræſentãt.

Ergo & respublica jure in nobilitatis poteſtate eſt.

In quorum poteſtate jure eſt respublica, in eorum poteſtatem translatum eſt Jus Reipublicæ.

In jure reipublicæ perſona ejus civilis, ſeu moralis continetur.

Nam omnes perſonæ civiles, ſeu fictæ Corporum, Collegiorum, Univerſitatum, in aggregatione Jurium conſiſtunt.

Ergo

Ergo persona Reipublicæ in Nobilitatis personam translata est:
Quorum persona coincidit, eorum & bonum coincidit.
ERGO BONUM REIPUBLICÆ CUM NOBILITATIS IN POLONIA JURE COINCIDIT.
Seu, cùm quæritur quid sit utile Reipublicæ Polonicæ, de jure quærēdum est, quid sit utile Nobilitati Poloniæ.

PROPOSITIO II.

„ Nobilitas & per consequẽs
„ Respublica Polonica
„ sibi sufficit.

Nobilitas in Polonia Territorium habet.
Nam & Episcopi regulariter ex nobilitate esse debent. Stanislaus Hosius vir cetera maximus, quòd plebejus esset, ægrè admissus est.
In Polonia Territorium lignis, frumento, melle, sale, pecore abundat.

Signatur: Leibn. Marg. 93, [17] - 11
PUBLIC DOMAIN

De quo pluribus autor Poloniæ defensæ, contra Barclaji Iconem animorum, ~~Illum~~ quem non nulli Staravolscium putant.

Lignum ædificiis, mel & frumentum potui, sal, frumentum, pecus, cibo sufficiunt. Pecus & vestes præbet. Ædificia, cibus potus, vestes sufficiunt vitæ necessitatibus, Polonia ergo alendis hominibus sufficit.

Porro hominum Polonia tantum habet, quantum terra postulat.

Regio verò, quæ tantum hominum habet, quantum colendæ & tuendæ terræ, tantum rerum, quantum alendis hominibus sufficit, ea sibi sufficit.

Habet scilicet sua bona in potestate, potest cuncta sibi præstare, modo & velit, seu studium & artem copiæ addat, ab exteris certè non pendet.

Ergo Polonia sibi sufficit.

Scio, Georgium Oszolinskium, magnũ virum,

virum, lautam aliquando cænam præbuiſſe, cui pleriq; etiam Legatorum exterorum intererant. Procedente convivio, Studiosè requiſivit, eſſetne quod in conditura ciborũ hoſpites deſidererant; proteſtatus etiam, nolle ſe laudari, quod diſplicuiſſet; peculiarem cauſam habere, cur ſic rogaret. Mirari omnes, quid hoc vellet ſibi, nec convivarum quisquã fuit, qui ſuo palato ſatis factum negaret. Tum verò Oſzolinskius, rem omnem expoſuit; ſcilicet experimentum opum patriarum ſe capere voluiſſe; nihil appoſitum, quod non in Polonia natum factumq; eſſet; judicium hoſpitum tantorum expectâſſe. Eos nunc ſe teſtes appellare, iis expendendum relinquere, quam ſtultum damnoſumq; ſit, cùm patria non vitæ ſolum, ſed & voluptati ſufficiat, dulcẽ exitium adverſosq; non gulæ ſed temperamento noſtro cibos immani fœnere ab externis mutuari. Neq; verò ideo minùs ſibi ſufficere Polonia putanda eſt, quòd *ab exteris Regem* accipit Hoc non neceſsitas vitæ, ſed Status conſervandi utilitas poſtulat & in eo ſum-

sumendo, unde lubet; circumscribendo ut lubet, suæ potestatis Gens est.

Corollarium.

„ Polonia quando debilitata
„ est, solâ quiete reconva-
„ lescit.

Nam Poloniæ sufficientia â natura terræ pendet, *per proximè demonstrata.*

Naturalis terræ bonitas, vi humanâ tolli non potest.

Si naturalis terræ bonitas super-est, sponte naturæ iterum res hominesq; succrescent, dummodo non impediantur.

Non impediuntur, modo res intus extusq; sint quietæ.

Ergo ad restituendam Poloniam debilitatam sola *quiete* opus est.

Hoc ideo posui, ne inani tot millionum strepitu, quot *Mosci Gallig.* jactãt, capi nos patiamur. Fac, promissis staturos,

quis

quis dispẽsandis pecuniis proprior rege erit? Ergo ad parandam sibi factionem utetur, dividet in paucos, vix ad millesimum quemq; fructus perveniet. Et ii ipsi qui accipient, in pompam, in luxũ, in allatas è Gallia novas vestium formulas, prodigent, si placere aulæ Gallicizanti volent. Ita redibit in Galliam pecunia, quæ â Gallia venit! ~~Pravæ monetæ prorsus tollendæ nulla alia via est, quam ut Rex Magnatesq; imposito primùm pretio eam recipiant, non nisi verò rursus expromant; regressu ad farciendum damnum in depravationis autores, nisi condonare malint, utantur.~~ Cæterum *ex hoc Corollario* infra prop: 34. deducemus, Rege non bellaturiente, sed quietô opus esse.

PROPOSITIO III.

„ Scopus Reipublicæ jure est
„ Nobilitatis libertas, quãta
„ maxima tutò haberi potest,
„ seu libertas securitate
„ frænata. Posse-

Posſemus hoc ſine demonſtratione ſumere, confeſſione gentis, & tota Reipublicæ ſtructura certum, niſi non *verum* tantùm, ſed etiam *rectum* hoc eſſe, demonſtrare ſuſcepiſſemus.

Scopus cujusq, eſt illa pars finis in qua conſequendâ maximè laboratur.

Finis eſt felicitas.

Felicitas eſt præſentia bonorum, abſentia malorum, quanta haberi poteſt.

Bona quanta haberi poſſunt, aut ad *uſum* aut *voluptatem* abundantem, pertinent.

Quæ pertinent ad voluptatem abundantem, in iis maximè laborandũ non eſt.

Ergo *Scopus* eſſe non debet.

Hunc Scopum cùm Sybaritæ tenuiſſent, facilè proſtrati ſunt â Crotoniatis.

Bona quæ ad uſum pertinent, regio quæ ſibi ſufficit, (qualis Polonia eſt per prop: 2.) ſibi & jam præſtat.

Quod

Quod regio ipſa ſibi præſtat, in eo maximè laborandum non eſt.
Id ergo nec ſcopus eſt.
Ergo bonorum præſentia ſcopus Reipublicæ Polonæ jure non eſt.
Ergo malorum abſentia potiùs.
Mala autâ natura, aut ab homine.
Malis naturæ depellendis bonitas naturæ ſufficit.
Ergo & bonitas naturæ quæ (*per demonſtrationem prop: 2.*) in Polonica regione eſt.
Ergo malorum naturæ depulſio ſcopus Poloniæ (ſeu in quo maximè laborandum ſit) non eſt.
Ergo ſupereſt, ut malorum ab hominibus imminẽtium depulſio Reipublicæ Polonæ ſcop⁹ eſſe debeat.
Ea autâ pari, vel etiam inferiore imminent; aut ſuperiore: item aut corpori, aut animo, ſeu voluntati.
Iis carere, *ſecuritas*, his *libertas*.

Ergo

Ergo ſcopus Reipublicæ Polonicæ *libertas & ſecuritas* eſſe debet.

Quicquid *abſolutè* ſcopus eſt, id, quãtum maximum haberi poteſt, ſcopus eſt; & quicquid cum *addito* ſcopus eſt, tantùm ſcopus eſt, quantùm per additum licet.

Jam Respublica Polonica in nobilitatis poteſtate eſt. *per demonſtrationem propoſitionis. I.*

Ergo ſcopus Reipublicæ Polonis eſſe debet libertas Nobilitatis quanta maxima tutò ſeu ſalvâ ſecuritate haberi poteſt.

Libertatis in Polonis *amorem* ex eo imprimis principio hic demonſtravimus, quia terra ſibi ſufficit. Ibi enim ille ubiq; ſequitur, niſi educatione, vi, arte, â Rectoribus eradicetur. Quod in Polonia ideo fieri nõ poteſt, quia penes multitudinem ſumma rerum eſt. Sunt & aliæ in Polonis cauſæ amatæ libertatis: origo Scythica, vita campeſtris, multitudo homi-

hominum, planities regionis, abſentia Caſtellorum, &c. Securitatis tamen curâ libertas temperanda eſt, ne unione diſſolutâ hoſtibus inermis Respublica objiciatur.

PROPOS. IV.

„ Respublica Polonica vult
„ nobilium ÆQUALITA-
„ TEM, quo ad ejus
„ fieri poteſt.

Respublica Polonica vult nobilium libertatem quanta maxima haberi poteſt. *per prop: 3.*

Duo maxima æqualia ſunt.

Vult ergo æqualem libertatem.

Quorum libertatem æqualem vult, eorum & cauſas libertatis æquales vult.

Cauſa libertatis etiam potentia eſt.

Ergo & potentiam æqualem vult.

Quo-

Quorum potentia æqualis eſt, illi in Republicâ ſimpliciter æquales ſunt.

Nam cives in republica exeo æſtimantur, quod efficere poſſunt Reipublicæ utile vel damnoſum.

Ergo Respublica Polonica ut libertatem maximam, ita & æqualitatem Nobilium vult.

Jam libertatem vult, quoad ejus fieri poteſt, *prop: 3.*

Ergo & ÆQVALITATEM quo ad ejus fieri poteſt.

Idem aliter.

Respublica Polonica circa Jus ſuffragiorum in *Comitiis* Nobiles æquales vult.

Comitia habent ſummam in Republica poteſtatem.

Ergo circa participationem ſummæ poteſtatis æquales vult.

Quos circa maxima æquales vult, ſimpliciter vult.

Ergo

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 93, [26] - 20
PUBLIC DOMAIN

Ergo Respublica Polonica Nobiles simpliciter æquales vult, scil: quoad salvâ Republicâ fieri potest.

Neq; enim aliter in Republica fieri potest, quin alii præ aliis dignitate & opibus emineant; quin Magistratus certis personis credantur. Id tantùm curandum est, ne de summa potestate plus alter altero in se trahat. Cæterùm hinc inter alia *infra prop: 60.* demonstrabitur: *Piastum* vitandum esse.

PROPOS. V.

„ Respublica Polonica REI
„ MILITARIS rectè stu-
„ diosa est.

Respublica Polonica gravissimis hostibus, Turcis, Tartaris, Moschis contigua est.

Eadem naturâ & arte munita non est.

Caret enim montium muris, fluminum fossis, arcium propugnaculis; (quantulum enim sunt Cracovia, Leopolis, & arces aliquot privatorum? Borysthenem

nem præsidiis munire frustra aliquamdiu agitatum est.

Ergo solo corporum objectu resistere debuit.

Corporibus ad militiam studio & exercitio opus est.

Ergo Polonia rei militaris rectè studiosa est.

PROPOS. VI.

„ Nobilitas Polona MILI-
„ TIÆ RECTE Studiosa est.

Nam Respublica Polonica militaris est, *per prop: 5.*

Ergo *perpetuo milite* indiget.

Perpetuum militem in Gente libertatis studiosâ decet *internum* esse.

In perpetui militis potestate solet esse Respublica.

Documento Jennitsari, Prætorianiq; sunto.

In

In quorum poteſtate ſolet eſſe Respublica, ii ſunto in Polonia Nobiles, *per prop. 1.*

Ergo in Polonia perpetui milites debent eſſe nobiles.

Perpetui milites rectè ſunt militiæ ſtudioſi.

Ergo Nobiles in Polonia rectè ſunt militiæ ſtudioſi.

Accedit, quòd libertatis & militiæ ſtudium parallela ſunt. Crœſus Cyro apud Herodotum lib. 1. ad domandos rebelles Lydas id conſilii dat, ſi armorum ſtudium animis excutiat, voluptatis atq; otii dulcedine omnes pelliciat, ſervituti paratos fore: Et cauſa eſt quia militia ferociam gignit, ferocia libertatem.

PROPOS. VII.

» ORBIS CHRISTIANI
» Conſentientis & Nobilitatis
» Polonæ ſcopus coin-
» cidunt.

Nam

Nam Poloni in Christianorum & Barbarorum confiniis locati sunt.

Prope fines hostium positos studio militari excellere reliqui optant.

Ergo Polonis studium militare optãt reliqui Christiani,

Idem Poloni Nobiles optant sibi, *per prop: 6.*

Ergo scopus Orbis Christiani consentientis, & Nobilitatis Poloniæ coincidit.

Hinc libertatem Polonam opprimi, orbi Christiano periculosum; nam & virtus infringetur. Securitatem verò multò magis; nam propugnatores amittet. Et certè â Polonico maximè latere Germania Barbaris patet. Ab eâ parte Tartari in Silesiam irrumpentes, Ducem occurrentem cum flore Juventutis magna strage occiderunt. Idem à Temure lenco, seu Tamerlane terror incubuit. Recens ille metus est, quem in Moraviam delatæ aliquot Tartarorum alæ vicinis injecerunt.

Prop. VIII.

PROP. VIII.

Nobilitatis Polonæ SCOPUS JUSTUS EST.

Quod Polonicæ Nobilitati utile; id orbi Christiano utile, (seu bonum ejus privatum coincidit cum bono publico orbis Christiani) *per prop. 7.*

Orbis Christianus est optima pars universi.

Quod optimæ parti Universi utile, id universo simpliciter utile.

Quod universo utile, id Deus vult.

Quod Deus vult, id omnipotens vult.

Omnipotens habet jus in omnia *per demonstrata Hobbesii in Elementis de cive.*

Quod is vult, qui in omnia jus habet, *id justum est.*

Ergo quod Poloniæ Nobilitati utile, id justum est.

At, inquies, quid si Nobiles plebem ad incitas redigant, bestiarum numero habeant, libertatem in licentiam vertant, an hoc quoq; justumerit? mininè verò, sed hoc ne ipsis quidem Nobilibus reverà utile esse, Cosacci tristi exemplo docuerunt; libertatem quoq; securitatis curâ supra frænavimus, quæ ingruente licentia constare non potest.

PROP. IX.

» Quidquid est contra LI-
» BERTATEM, idem in Po-
» lonia est contra SECU-
» RITATEM.

Quidquid contra libertatem est, id est contra rem Polonis optatissimam, *per prop. 3.*

Poloni Gens bellicosa sunt *per prop 5.*

Quidquid gentis bellicosæ votis contrariũ est, belli facilè causa est.

Ergo quidquid contra libertatem est, in Polonia belli facilè causa est.

E. belli

E. belli inteſtini facilè cauſa eſt.
Inteſtinum autem bellum periculoſum eſt.
Quidquid periculoſum eſt, contra ſecuritatem eſt.
Ergo *quicquid eſt contra libertatem, idem in Polonia eſt contra ſecuritatem.*

PROP. X.

„ Polonia DEBILITATA
„ EST, ſeu tempora nunc
„ Polonis periculoſa
„ ſunt.

Hoc in facto conſiſtit, & ideo magis *inductione*, quam *demonſtratione* conficitur.
Regionis potentia conſiſtit in *terra, rebus, hominibus.*
Terra Poloniæ imminuta eſt, amiſſa Moldavia, Wallachia, & Livonia; defectione Coſaccorum & Ruſſorum nigrorum cum tota Ucrania; reſignatione ſummæ poteſtatis in Pruſſiam Electoralem.

Res

Res opesq; attenuatæ disturbatis commerciis.

Commercia disturbata, depravatâ communi cum exteris pretii mensurâ, *Monetâ, arte Gallicanâ.*

Hominum decrevit *multitudo.*

Multitudo tot bellis: Moschico, Scythico, Svecico, intestino.

Poloniæ igitur & terra, & opes, & homines imminuti.

Ergo Poloniæ potentia debilitata est, seu quod Idem: Poloniæ Status periculosus est.

PROP. XI.

„ TEMPORE PERICULO-
„ SO indifferentia fiunt peri-
„ culosa; periculosa vero
„ periculosiora.

Indifferentia sunt, quæ æquè facilè bene, quàm malè cedere possunt.

Peri-

Periculosa sunt, quæ probabilius est malè, quàm bene cessura.

Ergo *tempus periculosum* est, quo omnia facilius malè quàm bene cedunt.

Ergo & indifferentia, in tempore periculoso constituta, pondere, velut bilanci adjecto, in deterius inclinantur.

Periculosa præter probabilitatem mali quam in se habent, novam â tempore accipiunt.

Fiunt ergo tunc periculosiora.

Ergo *Tempore periculoso indifferentia fiunt periculosa, periculosa verò periculosiora.*

PROP. XII.

„ DISSIDIA Polonis præter
„ cæteras Gentes periculosa sunt.
„

In Polonia Comitia sunt supremus Judex controversiarum. Vo-

Voluntas & Judicium Comitiorum non est in potestate, sed à *Casu* consensùs partium pendet.

Nam in Comitiis cœteris, quilibet *Nuncius* terrestris habet *Votum negativum*, & intercessione ejus nil concluditur. In Comitiis Electionis majus etiam aliquid, & propè incredibile dictitatur, singulos nobiles (quia in Electione tam per Nuntios, quàm per se conveniunt) habere votum negativum; & regem non nisi omnibus consentientibus inaugurandum esse. Ita in Polonia *pluralitas vorum* in Comitiis non valet. In Imperio quoq; Imperator, Collegium Electorum, Collegium Principum, Collegium Civitatum, singula habent votum negativum, & omnium consensus impetrandus est. Quanquam verò pluralitas votorum non sit de necessitate Juris naturalis (de æquitate certè est) deceret tamen esse aliam saltem viam certam & infallibilem decisionis in benè constituta Republica, etiamsi vel sors esset qualiscunq; enim consensus hic dissensu potior.

Ergo

Ergo & una *voluntas*, unitasq; *personæ civilis*, qua Respublica constat, *casu* pendet.

Unitas Reipublicæ à casu pendens, seu incerta; imperfectaq; est.

Unitas imperfecta, vel parum imminuta, planè solvitur.

Omnia dissidia aliquantum solvunt unitatem.

Ergo facilè penitus imperfectam.

Ergo facilè penitus Polonicam.

Vnitatem penitus solvi, est Rempublicam interire.

Reipublicæ interitus periculosissimus.

Ergo dissidia Polonis periculosissima.

In cæteris Gentibus tot *Vota negativa* ignorantur;

Ergo minor causa metûs.

Ergo DISSIDIA Polonis quam cæteris gentibus periculosiora.

Præsertim cum Poloniæ tempora periculosa sint *per propt.* 10. Et dissidia per se periculosa, *ut hîc*, fiant periculosis temporibus periculosiora per prop. 11.

PROP. XIII.

„ NOVA sunt cæteris paribus periculosa „.

Ceteris paribus i e. nisi periculum aliunde aut spe magnâ aut certo bono compensetur vel superetur. Et ita omnes demonstrationes in *rebus concretis*, ubi multæ qualitates & circumstantiæ concurrunt, uti in Physicis, Mechanicis; Medicis, Civilibus, intelligendæ sunt. Nam & in Machina aliqua aut horologio demonstratio motûs certò secuturi sic limitanda est, si scilicet externi alicujus impulsu non disturbetur aut cõfringatur. Tales verò limitationes ex natura rei subintelliguntur, & ideo adjici non debent: quod semel in universum monuisse eos sufficiat, qui *artem demonstrandi* non tenent.

Nova

Nova inexperta ſunt.
Rerum civilium certitudo maxime ab *experientia* pendet.
Ergo res civiles inexpertæ, incerti eventus ſunt.
Quæ incerti eventus ſunt, indifferentia ſunt.
Indifferentia tempore periculoſo ſunt periculoſa, *per prop. 11.*
Poloniæ tempora periculoſa ſunt *per prop. 10.*
Ergo *Nova Polonis periculoſa.*

Idem ampliùs aliter:

Nova diſplicent firmatis, placent illis qui ſpe aluntur;
Utrinq; multi ſunt.
Ergo multis placent, multis diſplicent.
Ergo cauſa diſſidiorum ſunt.
Hæc periculoſa, inprimis *per prop. 12.*
Ergo nova Polonis inprimis periculoſa.

Idem abſolutè, ex eodem.

Signatur: Leibn. Marg. 93, [39] - 33

Nova displicent firmatis, placent spe viventibus.

Ergo displicent melioribus, placent deterioribus.

Meliores sunt sapientiores, deteriores sunt stultiores.

Quæ sapientioribus videntur, sunt *probabiliora*, quàm quæ stultioribus. *per defin. Aristotelis.*

Ergo probabilius Nova esse mala.

Cujus *malitas* probabilis, id *periculosum* est.

Ergo Nova sunt periculosa.

Hoc axioma multis infra applicabitur: *Aristocratiæ, Democratiæ, Piasto.* &c. Cæterùm non frustra nonnunquam *pluribus modis* idem *demonstramus.* Nam quanto sæpius idem prædicatum v. g. periculositas de eodem subjecto v. g. novitate, demonstrari potest, tanto plures gradus prædicati subjecto insunt, & tanto Novitas est periculosior.

PROP.

cm 1 2 3 4 5 6 7 8
GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 93, [40] - 34
PUBLIC DOMAIN

PROP. XIV.

„ Omne TURPE eſt periculoſum.

Omne *turpe* honorem imminuit.

Honor eſt opinio potentiæ.

De interno loquor, qui in animo conſiſtit; nam *externus* eſt illius opinionis ſignum.

Qui minorem potentiæ opinionem habet, lædi facilior habetur.

Quod facilius habetur, minus moleſtum facto habetur.

Ergo libentius fit.

Eſſe verò qui libenter nos lædat, periculoſum eſt.

Ergo omne turpe periloſum eſt.

Hactenus de generalibus quibusdam fundamentis & ipſo *Reipublicæ ſcopo*. nunc ad rem propius acceditur in ſequentibus, diſſeriturq; tum, quæ *formæ Reipublicæ* eligi debeat; tum ſi Regia, quæ in *Candidato dotes* requirantur.

PROP. XV.

Signatur: Leibn. Marg. 93, [41] - 35

PROP. XV.

„ INTERREGNUM in Po-
„ lonia diuturnum
„ ne esto.

Interregnum est forma Reipublicæ ex constituentium intentione temporalis.

Interregni naturam, nescio an quisquam hactenus definitione cõplexus sit. Neq; enim interregnum Regni tantum, sed & Aristocratiæ vel Democratiæ interruptio est (uti datur *Tyrannis Aristocratica* v. g. triginta Tyrannorum Atheniẽsium) Decem-Viri apud Romanos toto legum ferendarum tempore Interreges erant. Etiam illud interregnum est, quando suspensâ ad tempus populi aut optimatum potestate, uni potestas conceditur. Ita dictatores Interreges erant; ita illi quos expressè, Romani sic nominabant, Comitiorum habendorum causa creati *Interreges*.

Ergo Ordo quoq; Imperantium temporalis est.

Ergo

Ergo & ſumma poteſtas jubendi, & *neceſſitas parendi, temporalis.*

Ubi ſumma poteſtas temporalis eſt, ibi qui habet eam, aut egregiè bonus eſt, quod rarum, vel quod probabile, flagrat cupiditate, *dum tempus patitur*, utendi quàm maximè poteſt; etiam cum ipſius potentiæ ſecuturo aliquando interitu vel detrimento.

Et hæc ratio eſt, cur Romani cæteræq; eorum exemplum ſecutæ gentes, Legem de *cautione Uſufructuariâ* tulerint, quâ cavere debet uſu fructuarius, ſefe uſurum boni viri arbitratu, & ut bonus paterfamilias in re perpetuò ſuâ futurâ, faceret.

Ubi poteſtas certò, cupiditas ſeu voluntas probabiliter adeſt, ibi probabile actum ſecuturum.

Actus verò iſte abutendi poteſtate temporali in interregno exitioſus eſt Reipublicæ.

Pro

Probabilitas actus exitiosi summè periculosa.

Ergo quanto diutius tempus patitur, seu quanto diutius est interregnum, tanto periculosius.

Idem aliter:

Porro similiter, ubi *necessitas parendi* temporalis, ibimetus summo minor.

Minor ergo quàm qui debetur summæ potestati.

In *Interregnantibus* autem est interim summa potestas.

Vbi metus debito minor, ibi paulatim contemtus.

Vbi contemptus, paulatim audacia resistendi.

Vbi audacia resistendi superioribus, ibi facilè exardescit paulatim bellum intestinum. Id verò summè periculosum & contra securitatem.

Ergo

Ergo *Interregnum diuturnum summê periculosum*.

Idem aliter de Polonico tantùm:

Tempore Interregni Polonici in omnibus quæstionibus civilibus & cœteris altioris indaginis, *Justitium* est.

Vbi diuturnum justitium est, ibi ad incitas rediguntur, quorum fortunæ â maturâ causæ decisione pendent.

Tales ubiq;, & in Polonia quoq;, multos esse necesse est.

V. g. qui de fama & existimatione, de maxima parte fortunarum, de integra hæreditate, litigant, & in naturali possessione non sunt; item, qui criminali processu pulsantur, & sub Inquisitione trepidant.

Ergo ubi diuturnum Justitium, multi adincitas rediguntur.

Ad incitas redacti, ad latrocinia, proditiones, vim, fraudes, vindictam, se

se plerumq; convertunt, turbulento præsertim Reipublicæ tempore.

Id verò Reipublicæ damnosum.

Ergo *diuturnum* INTERREGNUM *Poloniæ periculosum.*

Is quoq; metus fecit, ut delictorum sub interregno admissorum *pœnæ* in Polonia *duplentur*; sed hoc non metuit, quis quis latere sperat.

Idem aliter:

Interregni tempus aut *Comitiale* est, aut *inter Comitiale*.

Comitiale tempus diu durare non potest.

Tum ob multitudinẽ eorum, qui in Comitiis hærere volent, tum ob Legẽ Regni, quæ intra sex hebdomadas ab inchoatis Comitiis numerandas Regem eligi jubet.

Ergo in interregno diuturno superest, ut tempus Inter Comitiale sit diuturnum.

Vti tempore Comitiali in ipsis Comitiis; ita tempore Inter-Comitiali

tiali in paucis, nempe *InterRege* & *Mareſchallo*, ſummæ poteſtatis exercitium eſt.

In InterRege Primate cognoſcendi & ſtatuendi, in Mareſchallo exequendi. Cæterorum *Senatorum* munia ceſſant. Niſi quòd more non ita veteri aliquot velut Reipublicæ deputati, Primati nunc adduntur. At Mareſchallo, cujus præſentior longè & anceps magis poteſtas, ſimiliſq; Præfectis Prætorio Romanis, & *Majoribus Domûs* Galliæ, in quorum manibus ſæpe Respublica fuit; adjecti ſunt, quod mirum eſt, nulli.

Ergo ſub interregno, tempore interComitiali ſummæ poteſtatis exercitium in Polonia penes pauciores eſt, quàm ſub *Rege*.

Paradoxum hoc, ſed manifeſtum. Nam ſub Rege, & Rex ſummæ poteſtatis plurimum tenet, & Primas quoq;, qui ſuperſtite Rege etiam ſi quid pernicioſum Regem moliri videat, convocare ex cauſa Rempublicam in Comitia poteſt. Et Mareſchallus invito etiam Rege curam armorum cum Rege ſibi

vindicat, & concurrunt tot alii: Exercituum Regni generalis, Exercituum Magni Ducatus Lithvaniæ generalis, Exercituum Regni Campestris, Exercituum M.D.L. Campestris, Militiæ aulicæ Præfectus, aliisq; in togatis quoq; negotiis Cancellarii, & Vice Cancellarii authoritas, ut Cromerus ait, eo usq; patet, ut multa inconsulto Rege signare; quæ verò contra Leges esse videntur, jubenti illi negare possint. Et pleriq; *Magistratus Majores* in Polonia cùm primùm à Rege, cõstituti sunt, tùm statim ipsi immediatè de summa potestate participant, & nec abdicari rursum à Rege, neq; cursus eorum officii sisti potest. Neq; quenquam habent, qui absolutè eorum actus irritos reddere possit, præter Comitia. Ergo tempore inter Comitiali non proprietatem quidem, usum, tamẽ & exercitium summæ potestatis ἀνυπόθυνον habent. Sed hæc omnia munera tempore interregni cessant, & cura eorum ad Primatem cum deputatis, vis ac potestas ultima, & quod, ut JCti loquun-

loquuntur, *extremum* est *in Jurisdictione*, ad solum Mareschallum rediit. Imò tempore inter-Comitiali actus quidem Primatis & Deputatorum à Mareschallo irriti reddi possunt, si jubentibus illis non exequatur; at actus ipsius qui executor est, à nullo irriti reddi possunt, nisi à Comitiis. Ergo tempore Interregni inter-Comitiali apud Primatem & Deputatos quodamodo, apud Mareschallum solum simpliciter summæ potestatis Exercitium est.

Quantò pauciores sunt, tantò potestas major in singulis.

Quantò potestas major in his, tantò minor in cæteris civibus.

Ergo tanto minor æqualitas libertasq́; , contra *scopum Reipublicæ prop. 3. & 4.*

Ergo *interregnum diuturnum summè periculosum est.*

Idem aliter ex eodem:

Quo pauciores, hoc facilior conspiratio,

Con-

Conſpiratio vel cum hoſte externo vel interno.

Illa contra libertatem, hæc con traſecuritatem.

Utraq; contra ſcopum Reipublicæ, *prop. 3.*

Ergo *Interregnum diuturnum ſummè periculoſum eſt Poloniæ.*

Non dubitamus, eos, qui nunc interregnantes ſunt, probatiſſimos Viros, nihil unquam commiſſuros, unde neglectæ ſalutis publicæ argui poſſint. Sed *demonſtrantis* officium eſt, naturam rei exponere, quemadmodum qui de horologiis faciendis ſcribit Mathematicus, non conſiderat ex auro an ære confecta ſint. Ita demonſtrator formam Reipublicæ per ſe contemplatur, nec præſenti tantum tempori alligatus eſt; neq; enim, ſi nunc ita felix Reſpublica eſt, ut bonis Viris Rectoribus utatur, ideo ſtatim & perpetuò tales habebit. Prodeſt, de natura & conſectariis *Interregni* ſui

in

in universum moneri gentem. Et præterea hoc ipsum miserum, hoc ipsum periculosum est, ab unius aut alterius licet summæ virtutis Viri (qui quantus cunq; est, mutabilis tamen est, homo est, illecebris corruptelisq; vinci vinciriq; potest) sperata fide tot millium salutem libertatemq; diu pendere.

PROPOS. XVI.

„ Democratiæ Exercitium in
„ Poloniam non cadit.

Democratia est forma Reipublicæ, in quâ summa rerum est apud Populum.

Populus est Civium collectio.

Civis est, qui Regiminis particeps aut est, aut esset, nisi id aliò (v. g. in Collegium optimatum aut Principis personam) translatum esset.

Ita emendanda Aristotelis definitio, ut omnibus formis quadret.

Tales

Tales in Republica Polonica sunt soli Nobiles, & quos Nobiles admittunt.

Nam plebs servorum loco est, oppidani peregrinorum, de quo Theodorus Scumiovius nostras tr. de Jure Personarum.

Ergo si in Polonia Democratiæ Exercitium esse debet, penes omnes Nobiles Exercitium summæ potestatis esse debet,

Exercitium summæ potestatis, est continuus summæ potestatis usus.

u Ubi continuus summæ potestatis usus, ibi continuò debet deliberari in commune.

Ergo & continuò conveniri.

Ergo & continuò conveniri posse.

Continui conventus in tam immensam Nobilium Poloniæ multitudinem non cadunt.

Ergo nec *Democratiæ exercitium in Polonia locum habere potest.*

Demo-

Democratici Regiminis exercitium vix alibi quam in populo exiguo, unius ferè civitatis muris incluſo, ab omni retrò memoria repertum. v. g. Athenis, Romæ, Carthagini, ſyracuſis. &c. Etſi enim multas alias gentes ditione premerent, tamen non niſi Athenarum aut Romæ populus ad deliberationes in foro quotidie convênit. Cæterum notanter dico: *Exercitium Democratiæ* in Poloniam non cadere: *Vim* enim ejus haud dubè continet. Nam omne jus, & ita jus quoq; Majeſtatis, tum in ipſa Vi & poteſtate, tum in Exercitio conſiſtit. Idq; ad *mixturas* quoq; *formarum* applicandum eſt, quod hactenus factum non memini. Viderunt aliquid per nebulam, qui inter *formam internam & externam* diſtinguunt, ſed quia Juris prudentia deſtituebantur, in intima rei animo non pervaſerunt. In Uſufructuario, in *Dictatore*, in Inter Regnantibus, in Rege quoq;, qui ordinibus ſubeſt, ſummæ poteſtatis exercitium eſt; jus ſcilicet temporale, quod in alterum,

aut

aut ipso temporis lapsu, aut implemento conditionis, aut voluntate alteriùs, recasurum est. Ita in Polonia quoq; Rex Summæ Potestatis exercitium habet; nam tempore intercomitiali superiore caret. At durantibus Comitiis exercitium summæ Potestatis ejus, velut proprietati consolidatum, in pendenti est, & irritum reddi potest. Quam tamen ut *Grotius* recte distinguit, non ipsi *Summitati Potestatis*, sed *modo habendi* officit.

PROPOS. XVII.

„ ARISTOCRATIA Polo-
„ nis periculosa est.

Aristocratia est forma Reipublicæ, in qua Collegium Optimatum, seu aliquot Civium summam potestatem habet.

In Optimates eligentur non facilè nisi Potentissimi.

Nam qui rem summam sibi efficere possunt, *Potentissimi* sunt.

Ergo

Ergo territorio, familiæ, clientelis, &c. valentes.

Porrò Optimates aut consentient, aut dissentient.

Si consentient, probabiliter volunt bonum Collegii commune.

Volent ergo potentiam Collegii, quantam possunt, seu absolutam.

Porro singuli per se opibus tantùm valent, quantum Rex ex indigenis electus.

Nam Rex, ex indigenis electus, antequam eligatur, & per se, nihilo major est, quã unus ex primariis & potentissimis civibus, territorio, familiâ Clientelis valentibus.

Ergo Singuli si consentient, tantùm efficere poterunt ad potentiam Collegii Optimatum stabiliendam, quantùm Rex indigena ad suam.

Ergo tanto major potentia fiet Collegii optimatum, quam Regia,

Signatur: Leibn. Marg. 93, [55] - 49

quanto plures sunt consentientium Optimatum (V. G. si decem, dempto major erit.)

Quanto major potentia habentis summam potestatem, tanto plus periclitatur Libertas.

Ergo tanto plus periclitabitur libertas, sub Optimatibus, quàm Rege indigenâ, quanto plures sunt Optimates consentientes.

Ergo cum Rex indigena eligendus non sit *per prop. 60. independenter ab hac demonstratam.*

Scilicet singuli Optimates velut *totidem Piasti* erunt. Apparuit hoc in Republicâ Romanâ sub Decemviris, in Atheniensi sub triginta Tyrannis concordibus.

Sin dissentient, primaria Reipublicæ membra dissentient.

Dissidia Polonis periculosissima sunt, maximè verò totalia seu primariorum membrorum; cætera

in

in partes trahentium *per Prop. 12.*

Ergo Aristocratia si consentient Optimates, *Libertati*; sin dissentient, quod vix potest non fieri, *securitati* internæ periculosa erit.

Ergo Aristocratia est contra scopum Reipublicæ Polonæ *p. Prop. 3.*

Ergo Aristocratia Polonis est periculosissima.

Poloniam bis Palatini rexerunt, vice alterâ infeliciter, altera breviter. Illud quoq; videndum erit, cui tempore status Aristocratici, arma in Republica Polonâ, militiæ *per Prop. 5.* necessariò studiosâ, credenda sint; si uni; facilè Rempublicam opprimet, ut in Angliâ, Cromwellus; sin pluribus; vis militiæ dissolvetur, quæ nisi Monarchico regimine ægrè constat. Accedit Aristocratiæ novitas, quæ *per Prop. 13.* periculosa hoc præsertim tam periculoso Reipublicæ tempore, *per Prop 10. & 11.*

PROPOS. XVIII.

„ REX quàmprimùm in Po-
„ lonia eligitor.

Reſpublica in proximis Comitiis conſtituenda eſt.

Ergo vel extra ordinem & ad tempus, vel firmâ quâdam & ſtabili ratione.

Si extra ordinem; erit *interregnum*, *contra Prop. 15.*

Ergo ſtabili quadam ratione, quo facto aut Democraticum, aut Ariſtocraticum aut Monarchicum regiminis exercitium eſſe debet.

De *exercitio* loquor, nam *vi ipsâ* jam tum Reſpublica Democratica eſt, *per Prop. 16.* demonſtrationem. *Mixtum* à potiore denominatur.

Non Democraticum, *per Prop. 16.*

Non Ariſtocraticum, *per Prop. 17.*

Ergo Monarchicum.

Ergo

Ergo proximis Comitiis seu quamprimum Rex eligendus est.

Congruum hoc publicis Legibus, quibus placuit, mortuum Regem priorem nonnisi proximo ante Coronationem successoris die humandum esse.

PROPOS. XIX.

„ Electio non per SORTEM, sed rationalis esto.

In Electione per Sortem eligitur in quem Sors cadit.

Sors est eventus incertus.

Ergo in quem casura Sors sit, incertum est.

Ergo æquè facilè deterrimus quam optimus eligi potest.

Nisi DEUS extra ordinem assistat, quodquia non promisit, tale quid ab eo sperare, DEI tentatio est.

Imo quia plures indigni quàm digni.

Et

Et probabilius est, Sortem casuram in unum ex pluribus, quàm paucioribus;

Probabilius etiam erit, indignum quàm dignum electum iri.

Indignum eligi, malum;

Probabilitas mali *periculosa*.

Ergo Electio per SORTEM seu irrationalis est periculosa. Danda potius opera est, ut Rex eligatur ille, qui utilior esse videatur.

Hoc præsertim tam periculoso tempore, quo indignus & ineptus Rex totam facile Rempublicam evertere potest. Cæterùm an Sortes rectè Oraculi instar, & velut Signa voluntatis divinæ, consuli possint, nihil ad Politicum; Theologi ea disceptabunt. Nec ita diu est, quod *Gisbertus Voëtius* è Belgio, & *Thomas Gatakerus* ex Anglia, eo in campo confixerunt.

PROP.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 93, [60] - 54
PUBLIC DOMAIN

PROPOS. XX.

„ Eligendus NOTI GE-
„ NII esto.

Electio non per sortem sed rationalis esse debet, *per Prop. 19.*

Electio rationalis personæ virtutes æstimat.

Quod æstimandum est, notum esse debet.

Ergo Eligendi genius notus esse debet.

Hinc deducitur, neq; *Moscum* puerum, neq; *Lotharingum* etsi cetera laudabilem Principem, tamen privatam hactenus vitam degentem, nulloque negotiorum Reipublicæ & consiliorum experimento Orbi cognitum, eligendum esse, At Legionem duxit? Duxit verò sed exiguo tempore, modico Nomine, donec fama diu tacita nunc velut postliminio evigilavit. Nam si proximi belli Hungarici omnes Novellas, Tabulas, Theatra, Diaria, Relationes, &

quas non ſchedas, excutias; altum de Lotharingo ſilentium mirabere. Duxerit verò etiam laudatisſimè quod agnoſcimus. Id audaciæ tantùm & animi, non verò ingenii ſpecimen erit. Ingenium in iis tantùm negotiis elucet, in quibus non juſſus alterius, ut in militia Imperatoris, cæco impetu ſequimur, ſed deliberamus ipſi. Si more non nullorum Juvenum Principum Legationes obiiſſet, Provinciæ alicui Cæſareæ cum poteſtate, vel Collegio Conſiliorum cum authoritate præfuiſſet, hæc illi non rectè objicerentur. Si bellica Laus placebat, iiſſet in Belgium, Poloniam, Candiam, Hiſpaniam, Luſitaniam, nullibi deficientibus bellis; ut titulo peritiam adjiceret; Surrexiſſet ad altiora, ad Ducis Generalis munus; ut Rupertus Palatinus, Princeps Sulzbacenſis, Badenſis, aliiq; æquales. Quod obtinere, (ſi paululum aptaſſet ſeſe) à Cæſare, tam favente, non difficile erat. Nunc ingenium ejus aliquo experimento

mento publico cognitum dici non poteſt. Et etſi ignota ferè hactenus vita nec laudi nec vituperio pateat, hoc ipſum tamen parum laudabile eſt, nihil egiſſe. Contra Neoburgicus & Condæus. *Condæus* exercitum ipſe duxit, maximas res molitus eſt, ingenioſitatem factionis Condæanæ ſenſimus Poloni & Litvani plusquàm vellemus. *Neoburgicus* diuturna experientia nulli cedit, non exiguos principatus tot jam annis rexit, cum Omnibus per Europam aulis de gravisſimis rebus tractavit, Bellum cum Electore Brandenburgico gloriosè ſine auxiliis magnis gesſit, confœderationibus maximi momenti concorpor interfuit. Ergo qualis, quantusq; ſit, Orbi ignotum eſſe non poteſt.

PROP. XXI.

„ Eligendus in Regem reap-
„ ſe Rex nobis eſſe poſſe de-

» bet, seu PER VICE RE-
» GEM imperaturus
» ne esto.

Scopus Polonorum est libertas quanta maxima tutò haberi potest.

Ergo potestatem Regis tantùm imminutam volunt, quantum res fert.

Duplicata potestas est, posse potestatem alteri *de legare*.

Hoc enim est, duplicare quodammodo se ipsum.

Ergo & potestatem delegandi ademptam Regi volunt, si tutò possint.

Tutò adimi potest, quod necessarium non est.

Delegatio necessaria non est nisi Principalis, vel *ineptus* sit, vel *majore alio negotio* occupetur.

Eligendus *ineptus non sit*.

Majus in Polonia *negotium* negotio Regni

Regni nullum occurrere poteſt.
Negotia verò extranea Poloni regno ſuo prælata nolunt.
Ergo neceſsitas delegandi Regii muneris, Polonis probanda, occurrere non poteſt.
Ergo nec neceſsitas Vice-Regis.
Ergo poteſtas conſtituendi Vice-Regis tutò Regi adimi poteſt.
Ergo ademptam Poloni volunt (& jure quidem.)
Ergo Eligendus per VICE-REGEM imperaturus ne eſto.
Hinc neq; puer eligendus, de quo infra *Prop 28.* neq; qui per ſe regnum habeat, de quo *infrà prop. 58.* Per utrumq; *Moſcus* excluditur.

PROP. XXII.

„ Eligendus CATHOLI-
„ CUS eſto.

Catholicus eſt, qui in unitate Catholicâ

licâ & ſedis Apoſtolicæ, communione, Chriſtianæ Eccleſiæ pars eſt.

Eccleſia Catholica eſt cœtus, caritate unus, Religione Catholicus.

Religio Catholica eſt, quæ à Chriſto per Apoſtolos ad nos continuò univerſalitate temporis derivata eſt.

Hæreticus extra Religionem Catholicam eſt.

Ergo extra Chriſtum.

Ergo Hæretici ſalus nulla.

Schiſmaticus extra caritatis unionem eſt.

Ergo in peccato mortali continuò.

Ergo damnandus niſi mutetur.

Mutatio difficilis.

Ergo Schiſmatici ſalus difficilis.

Ergo qui Catholicus non eſt, ejus ſalus externa aut nulla aut difficilis.

Nulla, ſi eſt *Hæreticus*; difficilis, ſi *Schiſmaticus*.

Ergo

Ergo Catholicum esse, maximum bonum est,

Ergo, in Republica, ejus impedimenta vitanda,

Impedimentum tanto majus, quanto plus & potest nocere & vult.

Vult maximè qui Catholicus non est, potest maximè qui Rex est.

Ergo Rex non CATHOLICUS, ne esto.

PROP. XXIII.

„ Eligendus ANTE SPEM
„ REGNI Catholicus
„ esto.

Quisquis in Regno, dissidentis Regis incapace, tum demum Catholicus fit, cùm spem Regni hausit; is tum demum Catholicus fit, cùm hoc ei necessarium est.

Qui

Qui necessario tempore Catholicus fit, is nisi alia causa appareat, necessitate Catholicus fieri præsumitur.

Necessitas in animum non cadit.

Ergo qui necesitate solâ Catholicus est, animo catholicus non est.

Catholicum esse in fide intellectus, & caritate voluntatis, utraq; in animo, consistit.

Ergo, nisi alia mutationis causa appareat, (quæ non præsumitur,) Catholicus non erit.

Qui præsumitur Catholicus non fore, is nec Rex esse debet *per prop. 23.*

Ergo eligendus, nisi ANTE SPEM REGNI Catholicus sit, Rex esse non debet.

Idem Clerus Poloniæ, idem Sedes Apostolica monet. Mercenaria religio nulla est. Jagello dudum à Christiana Religione non abhorrebat, sed apud suos erumpere ausus non est. (nam lubricam domi ejus potentiam fuisse *Kojalowicius*

lowicius tradit) donec aliunde firmamentum accepit. Henricus IV. Rex Galliæ jam dudum Catholicus futurus erat, sed pudebat Legum à subditis impositarum. Cùm primùm verò eo in gradu locavit res suas, ut per se prævaliturus videretur, amotâ jam necessitatis deformi specie, professionem fidei facere non dubitavit, longè aliter *Moscus*. Huic enim imprimis ista opponuntur. Eum quis somniaverit animum Catholicis dogmatibus adjecturum fuisse, nisi oblatâ tam grandi Offâ?

PROP. XXIV.

„ Eligendus JUSTUS esto.

Eligendo Regi multa credenda sunt.

Neq; enim Respublica in omnibus cautionem à Rege postulare, ubiq; ei Ephoros adjungere potest. In multis ei fides habenda, multa soli ejus Religioni & conscientiæ committenda, inprimis in officiis, beneficiisq; dispensandis, in expe-

expediendis rebus, quæ moram & Comitia, & Senatus præsentiam non expectabant. Et omninò quo major aliqua potestas est, tanto plus ei credendum est.

Cui multa credenda sunt, eum fidem fallere periculosum est.

Ergo & justum non esse.

Eligendus ergo JUSTUS esto.

Omnes prudentes, quem Dei, conscientiæ, æternitatis metu non teneri sciunt, eum & timent, & oderunt. Etiam Atheorum hæc ars est, ut alios quàm maximè pios optent.

Idem aliter.

Rex eligendus Poloniæ utilis esto, *per prop. 19.*

Ergo scopo ejus conformis.

Scopus Reipublicæ Polonæ justus est *per prop. 8.*

Ergo *& Eligendus JUSTUS esto.*

Hanc Propositionem Candidatis applicare nimis invidiosum est. Fama hîc suas partes agat.

PROP.

PROPOS. XXV.

» Eligendus PRUDENS
» esto.

Eligendus utilis esto, *per prop. 19.*
Ego quod bonum est facito.
Faciet autem certò & constanter, si & *velit*, & *sciat* & *possit*.
Poterit, qnia *Rex* erit, per *hypothesin*.
Volet quia *justus* esse debet *per prop. 23.*
Restat ergo ut sciat, quod bonum est.
Qui scit, quid bonum sit, *prudens* est.
Eligendus ergo PRUDENS esto.

Hinc patet, in eo qui Justus & Prudens sit, Virtutes omnes virtualiter, ut sic dicam, licet non formaliter, contineri. Etsi enim talis habitum fortis, temperantis, modesti, &c. non habeat; idem tamen aget cum habente, etsi molestia & difficultate majore. Cæterùm hæc propositio est pro *Neoburgico* & *Condæo*, contra Moscū & *Lotharingum*. Illi enim præ

præ his prudentiæ documenta dederunt. Moſcus puer eſt, de *Lotharingo* Condæo & Neoburgico Autor Anonymus cujusdam ſchedæ ſequentia diſſerit, quæ exſcribenda duxi, quod non nulla præclarè monita contineant; etſi fatear pleraque juſtò acerbiora eſſe, & ideò mea facere nolim, curſus tamen orationis tardari, & ſeparatione modeſtiorum ab acrioribus connexio diſſolvi „non potuit. Sic igitur ille: *Lotha-*„*ringus*, inquit, vix quicquam egit pu-„blicè, & quæ egit, exiguum prudentis „ſpecimen dederunt. Primum quod „negotiis Reipublicæ animum, maturè „non applicuit, nam qui legioni etiam „optimè præfuit (quod tamen de illo „dici non poteſt, qui Viennæ militem „egit, in aulâ, in Gynæceo, caſtra vix æ-„grè aliquando ſalutavit) is non ideò „imperator, multò minus princeps bo-„nus eſt. Danda ei opera erat, ut Le-„gationes Cæſaris nomine obiret, ut „ſanctiori ejus conſilio cum dignitate „interesſet, ut vicario jure certis Cæſa-„ris vel Hiſpanorum Provinciis cum

„pote-

„poteſtate præeſſet. Quantulum enim
„erat, obtinere à Cæſare, ut Bohemiæ
„fortè aut Moraviæ, aut Tirolenſi di-
„tioni præficeretur? Hoc ipſi futurum
„erat longè honorificentius, quam Co-
„lonelli vel Tribuni gradum non ſuper-
„greſſum, ab alterius, conditione longè
„inferioris, imperiis pendere, nunc
„præſertim poſtquam tamdiu bellum
„ceſſavit? quanto id utilius in omnem
„eventum, & nunc ad Commendatio-
„nem validius, quàm aulicis delitiis
„Viennæ diffluxiſſe, crepundiis illis ani-
„mum corpusq; exercuiſſe, ſpectacu-
„lum populo hiſtrionicis equorum
„choreis, præbuiſſe, nuptiis alterius
„velut meritoria in arenâ operam lo-
„câſſe? (*hæc ab autore illo nimis acerbè*
„*dicuntur, bonus illi Princeps conſtringi*
„*tam arctè non poteſt.*) Sed & in eo gra-
„viter peccatum eſt, quod vicinus Po-
„lonis eventum vacaturi regni, proſpici
„à tot jam annis facilem, non prævidit;
„ſpes ipſe ſuas non prænovit, animis
„præparandis operam non dedit. Po-
„loniam nec ſemel delimite ſalutavit,

„vel

„vel imprudentiâ vel certè ſuperbiâ, cur
„enim eos colat, quibus ſcilicet impe-
„raturus eſt. Nunc verò ſubitò calore
„correptus, vel potius aliorum tandem
„conſilius monitus è ſomno evigilavit;
„quod tot annorum negligente morâ
„tardatum deperditumque eſt, aliquot
„ſeptimanarum feſtinatione reſtitui
„poſſe credidit. Ergo inconſulto im-
„petu ad fines advolat, prenſationibus
„popularibus cuncta permiſcet, vix ac
„ne vix quidem ditione Polonicâ ab ſti-
„net, Venationibus, conviviis, blandi-
„tiis imperitorum juvenum animos
„captat. Nam viris certè prudentibus
„non perſuadebit, ut ab aliquot hora-
„rum congreſſu, juvenem, aliâs inco-
„gnitum, Regem ſumant, cùm tantu-
„lum tempus nemo ſanus vel amico
„explorando ſufficere putet; Cæterum
„& immodeſtius ferociusq; agit, reli-
„gioſorum ſuſurris, curſitationibus,
„obteſtationibus animos movet, idque
„nimis publicè, nimis ſcandalosè: ita
„ut ad extremum ipſe Societatis Jeſu
„Generalis, Vir graviſſimus & antiquæ
diſci-

„disciplinæ, emissarios istos ad sua Col-
„legia, suas Provincias velut edicto re-
„vocârit, quod nescio an Principi mit-
„tenti honorificum esse possit. Quis
„verò illud ferat, quòd aliquot militum
„millia à Cæsare impetravit, hæc in
„Poloniæ finibus collocavit, sive tu-
„endæ Silesiæ, quam nemo invadet,
„sive tutandi Corporis specie, revera ut
„arma è propinquo ostentaret, si scin-
„derentur studia, si aliquot suffragia
„obtineret, statim Cracoviæ, capiti
„Reipublicæ immineret, & paratis in
„in viciniâ armis suæ factioni audaci-
„am, cæteris metum adderet? Quâ re
„effecit, ut ipse Maresschallus Coronæ,
„Vir vigilantissimus, militem suum
„non procul â Silesiæ finibus locaret,
„ob viam iturus si qua tentarentur;
„tum verò militibus suis gravissimè in-
„terdiceret, ne cum principe Lotharin-
„go commercii quicquam haberent, ei
„adequitarent, ejus illecebris caperen-
„tur, & mox toto exercitu, factiones,
„studia, rumores, fictas laudes aliquot
„munusculis vel blandis vocibus emtas

disse-

„disseminarent. In quibus omnibus
„manifestum est, multis modis Lotha-
„ringum impegisse. Quemadmodum
„nec illud prudentis fuit, nimium suum
„in Religiosos, eos præsertim, qui su-
„specti præ cæteris habentur, affectum
„renudare, per hos secreta negotiari,
„his spes suas credere. Malo certè o-
„mine, dominatûs ejus quem obtentu-
„ri illi in aulâ essent, si Lotharingus vo-
„ti damnaretur. At verò potentia eo-
„rum in aulâ Sigismundi III. quàm per-
„niciosa fuerit Reipublicæ, quàm affli-
„xerit Cracovienſem Academiam,
„quàm in Sveciâ tenendâ nocuerit,
„quàm Clerum Secularem & Episco-
„pos ipsos summos animarum Pastores
„malè habuerit, pro me Piasecius Epi-
„scopus quondam Premisliensis, Vir
„magni Candoris dicet. *Condæanæ*
„factionis ingeniositatem etsi, ut dixi
„paulo superius malo nostro didiceri-
„mus, eò tamen impegit, quod non a-
„more illabi Polonorum animis sed ar-
„te & factione eis sceptrum extorquere
„conatus est; quòd paucis, largitio-
num,

„num, corruptelarum, fœminarum,
„honorum lenocinio ſibi paratis, ideo
„ſtatim in Poloniâ plurimum ſe vali-
„turum credidit, malè à Galliâ ſuâ ra-
„tiocinatus, in qua, ſi aliquot homi-
„num, animos habeas, totam Gentem
„ad libitum circum agere poſſis. At in
„Polonia alia facies, ubi tot provinciæ,
„tot familiæ à ſe independentes; porrò
„emendis omnium animis, qui aut ju-
„vare ad ſummam rei in Polonia aut
„nocere poſſent, ne ſufficerent quidem
„omnes Galliæ divitiæ, etſi ſufficerēt, ab
„antiquæ fidei generoſitatisq; tenacib9
„adhuc plerisq; (neq; enim ita inimica
„nobis fata ſunt, ut non plurimos ſal-
„tem cives bonos, & à proditoriis arti-
„bus abhorrentes ſervaverint) reſpue-
„rentur. Illud quoq; à prudentia alie-
„num, quod in Gente libertatis tenacis-
„ſima ſuper omnes Orbis populos,
„rem maximè libertati evertendæ vali-
„turam, deſignationem ſucceſſoris ſu-
„perſtite Rege, obtinere poſſe credidit,
„nec ex horruit reliquos adhuc patriæ
„amantes, eam rem in odium autoris

ver-

„versuros. Sed si omnino necesse vi-
„debatur, vivâ Reginâ rem tentare, alia
„arte opus erat, nempe tegendum erat
„Condæo suum nomen, substituendus
„alius aliquis, qui primos odii impetus
„exciperet, tum demum illo dejecto a-
„perire se & tentare animos non aver-
„sos tempestivum erat. Nunc Con-
„dæus, quod sibi per alium præstare de-
„bebat, præstat Neoburgico ipse, ut sci-
„licet suis odiis alteri glaciem fregerit.
„*Neoburgicus* igitur in hoc negotio per-
„petua prudentiæ & moderationis spe-
„cimina dedit. Ut Lotharingus ni-
„hil, Condæus nimium, sic ille quan-
„tum & prodesse & excusari possit, ante
„vacantis regni tempus egit. A mul-
„tis annis sibi animos paravit, à multis
„annis medium nulliq; invisum se te-
„nuit, antiquam cognationem novâ
„affinitate renovavit, Regum Uladislai
„& Joannis Casimiri animos cepit, &
„posterioris superstitis nunc quoque a-
„morem tenet. Polonos perpetuò
„coluit, his aulam implevit, cum his fa-
„miliarissimè versatus est. Tum verò

cavit

„cavit ante interregnum quicquam a-
„gere, quod meritò culpari posſit, alios
„omnes præire, prætentare animos,
„paſſus eſt, horum lapſu admonitus
„meliori ſe occaſioni ſervavit. Porro
„mira arte ſimul & Polonis & exteris
„placuit, & quod admirabilius, adver-
„ſisſimos inter ſe ad ſui commenda-
„tionem junxit. Quis enim crederet
„eundem ab Auſtriacis, Gallis, Svecis,
„imò Anglis quoq; commendari poſſe,
„niſi meritis ſuis id extorqueret, niſi a-
„liter honeſtè facere non poſſent. Nam
„ſi, ut imperitè quidam objiciunt, uni
„intimiore quâdam & ſuſpectâ neceſſi-
„tudine junctus eſſet, continuò alter
„omni ope obniteretur. Illud quoq;
„in magna victoriæ parte ponendum
„eſt, quod eos ipſos, qui ex fama pu-
„blica occultè alium fovent, uti Galli
„Condæum, Auſtriaci Lotharingum,
„arte tamen, & officiis, & modeſtia ſuâ,
„& diſpenſato in omnes æqualiter cul-
„tu, junctis ſibi cunctis *Neutralibus* eò
„adegit, ut etiam fœderibus ictis pro-
„miſerint, alium nullum adjuvare.

„Quod quomodocunq; fiat, id tamen
„effeciſſe ſatis magnum eſt, quod omnes
„apertè aliud agere non poſſunt, & Rex
„ipſe Chriſtianiſſimus, famæ inprimis
„tuendæ ſtudioſiſſimus, magno Poloni-
„cæ libertatis bono factioni Condæa-
„næ manus, quod publicè quidem ap-
„pareat, ſubtraxit. Occulta autem au-
„xilia, ſi qua ſunt, neq; tanta neq; tam
„valitura, neq; tam ſpecioſa, neq; per-
„inde in animis gentis efficacia eſſe pos-
„ſunt. Cæterùm non minor in Neo-
„burgico Domi prudentia. Cum divi-
„na benedictione copioſam ſobolem
„maſculam habeat, his plerisq; per
„ſummas in Germania Electorales, Ar-
„chi Epiſcopales & Epiſcopales Eccleſias
„de loco beneficiisq; providit, ſibi ſum-
„tus minuit, illis & pietatis curam, &
„ſtimulum, ſpemq; altiorum addidit,
„& Polonos incubituræ in ſe numeroſæ
„prolis metu levavit. De quo pluribus
„infra *prop. 32.* Bello ſe Svecico & Gal-
„lico nunquam immiſcuit, Cæſaream
„Majeſtatem, ut decebat, coluit, in fœ-
„dere Rhenenſi, tuendæ paci Weſtpha-
licæ

„licæ inito, inter primos fuit, maximas
„res bello paceq; gessit, controversiæ,
„Juliacensi felicem coronidem impo-
„suit, Sereniſſimum Electorem Bran-
„denburgicum præter omnium opi-
„nionem sibi conciliavit, dissidentes
„moderatè tractat, conjugem alteram,
„Lutheranam, arte & ratione subitò
„ad meliora convertit, tum verò ditio-
„nes suas ita rexit, ut subditis non Do-
„minus, sed pater habeatur. Augendis
„subditorum rebus variis artibus invi-
„gilat, in necessitatis casu eos tanto
„promptiores habet. His ille artibus,
„vel quiescendo, Poloniam redintegra-
„bit. Solâ, ut sic dicam, Oeconomiâ
„indiguit Respublica nostra, perturba-
„ta est ab exteris commerciorum ratio,
„Judæorum sanguisugiis, peregrino-
„rum expilationibus, monetæ depra-
„vationibus laboramus. Materiam
„rudem apud nos nascentem vili pretio
„vendimus, præparatam ad speciem
„majus quàm durationem decuplicato
„sumptu recipimus, de cætero etiam
„quæ apud nos non nascuntur, emere

„infecta decebat, & noſtris potius opi-
„ficibus manu pretium concedere,
„quàm exteros ditare. Solo hactenus
„Rege Oeconomo deſtituti ſumus,
„hunc cum primum nacti erimus, effe-
„ret Polonia caput, & deſinet plus ſem-
„per pecuniæ expendere quàm recipe-
„re, quæ ad paupertatem compendioſa
„via eſt. Huic rei neq; Moſcus aptus
„eſt, qui commercia ad ſe ſolùm trahit,
„qui ipſe unus ſuæ Gentis mercator eſt,
„qui univerſale Monopolium habet;
„non Lotharingus juvenis talium con-
„ſiliorum fortè non capax & lenti fru-
„ctus, qui in talibus expectandus eſt
„impatiens. Condæus verò non no-
„bis ſed Gallis ſuis ditandis ac regioni
„magis magisq; ex pilandæ operam da-
„bit, præſertim cum merces Gallicæ lu-
„xui potius, quàm vitæ ſerviant, & pel-
„liciant magis ſpecie, quam Conſtan-
„tiâ proſint. Neoburgicus ſolus & æ-
„tatis judiciiq; maturus eſt, & lentis
„exſpectandisq; conſiliis Suetus, & ſub-
„ditos non habet mercaturæ deditos, ut
„metuendum ſit, ne in eos lucrum de-
rivet,

„rivet. Circumſpicite nunc Candida-
„tos cæteros, in eorum vitam, mores,
„ſucceſſus, inquirite; cedam loco, ſi
„horum Umbram reperietis. *Hæc ille,*
„*etſi ſæpè verè, tamen nimis vehemen-*
„*ter.*

PROP. XXVI.

„Eligendus EXPERTUS
„ rerum eſto.

Rex prudens eſſe debet, *per prop. 15.*
Prudens debet ſcire, quid bonum ſit.
Bonitas circumſtantiis facti variatur.
Circumſtantias facti noſſe eſt ſingularia noſſe.
Singularia noſſe eſt expertum eſſe.
Ergo eligendus EXPERTUS rerum eſto.

Experientia iterum major in *Condæo* & *Neoburgico*, quàm Lotharingo & *Moſco*.

PROP. XXVII.

„ Nihil obſtat Eligendum
„ LINGUÆ POLONICÆ
„ IMPERITUM eſſe,
„ dummodo Latinæ
„ peritus ſit.

Si obſtat, aut opinio eligentium aut damnum ſecuturum obſtat.

Non ob opinionem eligentium, quia eligentibus Poloniæ in Henrico Valeſio adverſum non fuit, qui eum Erneſto Auſtriaco, Slavonicæ linguæ non imperito, prætulêre.

Et nunc multo minus adverſum eſt, aucto in gente Studio peregrinandi.

Non ob damnum ſecuturum, quia omnes alicujus momenti actus linguâ latinâ peraguntur.

Ergo nihil obſtat, eligendum LINGUÆ POLO-

POLONICÆ imperitum esse, dummodo Latinæ peritus sit.

Hoc verò tanto minus obstat, quanto plus aliarum linguarum peritus est, quemadmodum Neoburgicus Latinam, Italicam, Germanicam, Gallicam, Hispanicam, non intelligit modò, sed & promptè loquitur: nec Polonicæ insciens est, sed eâ nec indelectatur.

PROP. XXVIII.

„ Eligendus PUER ne esto.

Si Rex puer est, per se regnare non potest.

Ergo regnabit vel per ordinarios Coronæ Officiales, perinde ac si Rex electus non esset, & ita erit in effectu interregnum.

Vel per extraordinarios Delegatos, sive ii Tutores, sive Curatores appellentur.

Et ita in effectu per Vice Regem.

Sed neque interregnum *per Prop. 15.*

neq; Vice Rex *per Prop. 21.* esse debet, quoad ejus fieri potest.

Fieri autem potest in novo Rege ex nova familia eligendo.

Secus est, quando Liberis prioris Regis inhæretur, ne perpetuis concertationibus opus sit.

Ergo eligendus PUER esse non debet.

Hæc propositio nulli præter *Moscum* obstat.

PROPOS. XXIX.

„ Eligendus corpore VE-
„ GETUS esto.

Nobilitatis Polonicæ studium militare jure est, *per Prop. 5.*

Ergo & Reipublicæ *per Prop. 1.*

Ergo & Rectoris Reipublicæ, seu Regis.

Rex ergo Studio militari aptus esse debet.

Ergo corpore Vegetus, quoad ejus fieri potest.

Initio

Initio autem, ut vegetus eligatur, fieri potest.

Satis molestum est, quòd Regis semel facti superveniens infirmitas tolerari debet.

Ergo Eligendus corpore VEGETUS esto.

Hæc Propositio obstat *Moscо* puero vix 16. annorum, quanquam Magnum Ducem dubitare adhuc ajunt, an nos primogenito dignari debeat. Cæterorum nulli obstat. Nam *Lotharingus* Juvenis est, *Condæus* non infirmus est, *Neoburgicus* ita maturus, ut tamen nihil de vigore remiserit.

Cruda nempe Neoburgico viridisque ut Poëta ait, & fœcunda, imo nulla senectus; qui superiore anno filium ex Conjuge sustulit, eum senem nondum esse, quemadmodum qui generare cœpit, non amplius puerum dici debere, Philosophi naturales docebunt. Quinquagesimum tertium annum habet, quæ hæc Senectus? nonne ætas Stata potius, & rebus gerendis matura? Nondum

dum illi gelidus circa præcordia Sanguis concrevit; mirus,& Juvenum plerisq; inimitabilis vigor, dies indies negotiis continuare, ludus Illi est, durato in laborem corpore, & Deo propitio repetitam Juventam permittente. Omnibus Ipse Consiliis præsidet, Supplicationes legit, querelas audit, Rescripta examinat & subnotat, aditu affatuque facillimus; res extra provinciam maximas tota Europa literis, nunciis, consiliis complexus, paucis admodum ministris subnixus, summam rerum prope Ipse Solus, versans, famam prudentis moderatiq; tum venerationem & amorem ubiq; implet. Tot negotiis implicitus, suarum nihilominus ditionum Pater est; his ita providet, quasi aliud nihil ageret, nullæ Subditorum querelæ, nullæ propè calumniæ, quas alioqui nec optimi Principes vitant. Interea Venationibus, armis, exercitiis equestribus potius; (quibus Illi per Germaniam communi opinione pauci pares, Superiores nulli habentur) quàm fomentis medicamentisq; corporis valetudinem

tudinem curat, cujus hactenus rarò ſollicitatam firmitatem poſt DEUM huic potiſſimum excitato, & duro & Principe digno vivendi generi tribuit, nec à ſolita iſta victus ratione augeſcentibus annis quicquam remittit; tantùm abeſt, ut Senex invalidus, capularis, decrepitus ſit, quemadmodum vel improbi vel ignari calumniantur. Dictis meis Poloni, quibus aula ejus ſalutata eſt, teſtimonium perhibebunt: Iidem confirmabunt, neminem eo minus *avarum*, minus *auſterum*. Splendidus eſt intra frugalitatem, amœnus intra gravitatem; urbanitate ingenii, nativis ſalibus, hilari Vultu, quoties animum laxat, omnibus amabilis, & cum frontem contrahere curæ jubent, maturus, cordatus, gravis, ſervis, amabilis, promptus, facundiâ ſponte profluente admirabilis.

PROP. XXX.

„ Eligendus potiùs PRU-

DEN-

» DENTIOR animo,
» quàm corpore vege-
» tior esto.

Nam corpus Vegetum ob munia viribus corporeis obeunda expetitur.

Ea munia alteri delegari aut in plures dividi sine periculo possunt.

Idenim quotidie in ministris, servisq; fit.

Contra gubernatio prudens, si cui deleganda est, notitia vel semel commissa aufferri iterum non potest.

Potestas corporea potest.

Ergo periculosius, animi quam corporis *Vicario* Uti.

Ubi Vicarius periculosus, ibi Vicarii necessitas periculosa.

Vicarii necessitatem efficit defectus aptitudinis in Principali.

Periculosius ergo, *prudentiam* quàm *robur* deesse.

Ergo

Ergo *Rex potius prudentior quàm vegetior eligendus est.*

COROLLARIUM.

„ Ergo Rex potius SENIO
„ quàm pueritiæ VICI-
„ NIOR eligendus.

Nam Senio Vicinior, expertior est.
Idem est in decremento.
Ergo prudentior, sed debilior.
Contra Pueritiæ Vicinior, est imprudentior.
Idem, quia in incremento, vegetior;
Prudentior verò potiùs, quàm corpore vegetior eligendus,

Per Prop. hic.

Ergo Senio potius quàm pueritiæ vicinior eligendus.

Ergo quod ad hoc quidem caput attinet, *Condæus & Neoburgicus, Mosco & Lotharingo* præferendi. *Cæteris paribus*, ut omnes, ejusmodi demonstrationes accipi

cipi debent, ſcilicet niſi forte hi duo poſteriores ex alio majoris momenti capite aliunde ſe præferendos oſtendant.

Certè periculoſa eſt natura Juvenum Principum, Vaniſſimis Conſiliis velut vento ſe paſcentium: ut de Rohoboamo nihil dicam; Oſmanes Turcarum Imperator cùm Poloniam aggrederetur, jam ex mari Baltico claſſes in oceanum Germanicum deſtinabat. Sebaſtianus Luſitanus ab expeditione contra Mauros totius Africæ ſibi Imperium promittebat. Uladislaus Ungaro, Polonus, Varnenſi Strage notus, orientem animo complectebatur; Joh. Fridericus Dux Saxoniæ Gothanus à perduellibus ab Epiſcopi Herbipolenſis cædem proſcriptis, Imperium ſibi Romanum, conjugium Regium, Eliſabethæ Anglæ: aliasque nugas perſuaderi paſſus eſt. Non abſimilia Joannes Auſtriacus. Caroli V. filius naturalis, cum Eſcordo agitabat. Non mirum igitur, ſi Princeps Lotharingius, qui nunc primum caput negotiis inſerere incipit, mirabiles & ampulloſas ſpes animo concepe-

rit;

rit; Unde quorundam laudatorum de jure ejus in Regnum Hierosolymitanum, debellando, cùm Rex Poloniæ factus erit, Turcâ, & recuperanda terra sancta, ad exemplum Godefridi Bullionæi, ridiculæ & monstrosæ jactationes. Sed

Quidquid delirant Reges, plectuntur Achivi.

Polonis opera danda est, ne eum Regem sumant, cujus calida juventus, dulci vanitate inflata, sibi exitium, Regno damna maturet.

PROPOS. XXXI.

„ Prodest, eligendum ÆTA-
„ TE PROVECTUM esse,
„ maximè autem SI FI-
„ LIOS HABEAT.

Quo enim ætate provectior, hoc minus spatii habet ad firmandam potentiam intestinam.

Tanto ergo minùs nocebit libertati.

Tanto etiam minùs filiorum succes-

sionem

sionem ab invita Republica poterit extorquere.

Optabit tamen filios succedere.

Restabit ergo, ut à volentibus Subditis obtineat.

Ergo amori Subditorum operam dabit, tanto magis, quanto plures liberos habet.

Eum verò amorem non nisi beneficiis obtinebit.

Ergo Reipublicæ proderit.

Prodest ergo, eligendum ÆTATE PROVECTUM ESSE, maximè si FILIAS HABEAT.

Breves Rectores esse, Reipublicæ libertatis Studiosæ interest; quemadmodum breves Vice Reges esse interest Regis. Jam & Rex velut Vicarius est Reipublicæ, Ergo, qui de novo eligitur, eum, non admodum prodest, Juvenem esse. Etiam inter Pontificis Maximi merita Senium censetur. Cæterum liberis quoque susceptis non parum animi e-

mol-

molliuntur, qui hos habet, etiam ultra mortem ſollicitus eſt pro ſalute eorum, in quibus ſuperſtes erit. Maſſilienſes apud Strabonem lib. 4. Geographiæ nullum alium τιμαχον creabant, niſi qui liberos ſuſcepiſſet. Sigismundus III. tum primum machinationes & ſuſpecta illa cum Auſtriacis commercia depoſuiſſe dicitur, cùm plena liberis domo Studiis civium indigeret, & Stephanus Batorius, quod orbum ſe videret, tanto acrius præſenti poteſtate uſus eſt. Nam ut ſupra in interregno Prop. 15. demonſtravimus, naturâ propendemus & inclinamur ad effuſum ejus occaſionis uſum, quæ citò abitura eſt. *Orbus* in Republica inſtar mercenarii, conductoris, uſu fructuarii, haberi debet; atqui transmittere poteſtatem in liberos cogitat, videtur ſibi ſe ipſum continuare, amatq; æternum ſui in ſuis bonum. Uladislaum noſtrum nuperum narrant, cum miro belli Turcici amore arderet, ægrè multis precibus ordinum, miſtis etiam minis, retentum eſſe. Unum erat, cujus aſpectu mol-

mollesceret, parvulus domi infans, cui pacata omnia, Studiaq; non ambigua gentis relinquere optabat. Hujus amor maximè effecit, ut ad dimittendas copias adduci se pateretur. Vix præstiterat, cùm nuncium de acerba filioli morte accepit, ad quem ille, mistum pœnitentiâ dolorem non ferens; utinam, inquit, ô fili, Si mori constitueras, aliquot mensibus ex autorationem militum anteveniſſes. *Hieronymus Spanorchius Italus indivinatione de Regno Poloniæ post mortem Stephani* ait: Nobiles Polonos quærere liberos habentem, ne quovis interregno novum ab exteris Regem emendicare cogantur. Cæterum hæc propositio pro *Neoburgico* potisimùm adjecta est. Cui quoniam nonnulli liberorum multitudinem objiciunt, ascribam rursus *verba Anonymi* ex scheda suprà citata, contra quendam „Neoburgici calumniatorem; Cram„bem toties à Vestris appositam tuquo„que, ut video, recoquis, & cùm Vitia „non possis, felicitatem & fœcundita„tem Optimo Principi objicis. Benedictio-

„nedictionem divinam], vitæ conti-
„nenter actæ, castique matrimonii fru-
„ctus, munimentum domûs, quæ
„prudentes in laude ponunt, tu cul-
„pas. Multos, inquis, liberos habet.
„Quid tum, habet & unde alat, floren-
„tes nec exiguas ditiones, opes nullâ
„luxuriâ imminutas, tum verò quod
„maximum est, prudentiam educatri-
„cem, quâ eos jam tum hic virtutibus
„assuefacit, quas qui habet, etiamsi hu-
„mili loco natus sit, emergere ad sum-
„ma quæq; potest, ne dum adolescens,
„cujus generi & virtutibus concurren-
„tibus, vastissimus ad res maximas bel-
„lo paceque gerendos campus aperi-
„tur. Circumspice paulùm, & cogita,
„quot Principes Germaniæ secundo
„genitos, ditione carentes, virtus eve-
„xerit: Ex sola Domo Palatina: Rex
„Carolus Gustavus, parens hodierni
„Svecorum Regis, Rupertus Palatinus,
„Eduardus Palatinus, Princeps Sulsba-
„censis, quod sors nascendi negaverat,
„virtute suppleverunt. Nec verò solo
„eos bello inclarescere necesse est; ha-
bet

„bet abundè Germania, unde Princi-
„pibus intra se reductis, tranquillita-
„tem mentis, interiorem Dei amiciti-
„am, cultum conscientiæ solito cura-
„tius quæsituris, copiosè satisfaciat.
„Neoburgicus certe, quâ prudentiâ est,
„effecit, ut pleriq; filiorum, quos vel
„ipsorum voluntas, vel interim, dum
„quid velint, appareat, parens, sacris
„destinavit, in summis per Germaniam
„Metropolitanarum & Cathedralium
„Ecclesiarum Collegiis, Moguntino,
„Trevirensi, Coloniensi, Osnabrugen-
„si, Argentinensi, & aliis structo ad sum-
„mos Electorales, Archiepiscopales &
„Episcopales honores gradu, passim
„sint recepti. At Poloniæ graves e-
„runt, inquis; qui possunt? cùm ple-
„riq; tantarum Ecclesiarum Canonici,
„& residentiam, quam vocant, serva-
„re debeant, & cœptis semel consiliis,
„ac spei ascensûs ad Summa aperti, in-
„sistentes, vix spatium aliquando habi-
„turi sint, Germaniâ egrediendi quis-
„quis ergo prudens est, ac Germanica-
„rum Ecclesiarum peritus, Polonos de-
posito

„posito hoc metu securos esse jubebit.
„Adolescentes isti Principes non solùm
„eis non oneri erunt, sed & eo loco
„sunt, ut prout se tempora cœlitus de-
„derint, ad summa Antistitum Insignia
„enisi; quibus Electorum ac Princi-
„pum Imperii connexæ sunt dignita-
„tes; decori, ornamento, munimen-
„to, auxilio Poloniæ esse, Germanicum
„ei Imperium, cujus magna, & Prin-
„ceps pars, Episcopi tales sunt, firmo
„mutuæ opis vinculo, colligare, si quid
„Regni causa apud Imperii ordines a-
„gendum sit, commendando, suffra-
„gando juvare, deniq; neq; Parenti,
„neq; Regno se pœnitendos præbere,
„ipso facto possint, quare Pater, cur
„secum eos in Poloniam adducat, cau-
„sam non habebit, relicturus in tot hæ-
„reditariis provinciis, in Ecclesiarum
„Cathedralium collatis semel aut con-
„ferendis beneficiis, in Germania egre-
„giorum Principum uberrima altrice,
„nisi quos accire eum velit, jubeatq; Se-
„natus populusq; Poloniæ, cui ille to-
„tum hujus rei arbitrium plenè per-
mittit

„mittit, quem optat ei rei numerum,
„legem modumq; ſtatuere, paratus,
„tum Satellitium omne Germanicum
„omittere, tum ex filiis vel tres, vel
„duos tantùm, vel etiam unum addu-
„cere, prout illi volent; Cæteris ſi one-
„ra Poloniæ hinc metuenda ſpectes, ſic
„futuris, quaſi non ſint. Nam, ſi tres
„tantum ſecum habebit, Polonia eum,
„niſi tres habere, non ſentiet. His ve-
„lut molli adhuc ceræ, linguam, ve-
„ſtitum, mores, habitum, animum de-
„niq; veſtrum nullo negotio imprime-
„tis; his militaribus negotiis, tutan-
„dis finibus, arcendis barbarorum ex-
„curſionibus, pellibus, frigori, acinaci,
„aſſuefactis, (a quo generoſa eorum
„multis jam ſpeciminibus emicans in-
„doles non abhorret;) velut totidem
„Vladislaus habebitis, parente cum
„Regni proceribus totam molem con-
„ſilio ſuſtinente, manu, fortitudine,
„celeritate juſſa exequentes, & reapſe o-
„ſtendentes ſingulos Regis liberos be-
„ne educatos, ſingula velut propugna-
„cula Regni eſſe, onus verò nullum.

Quod

„Quod à tribus filiis Philippi no-
„ſtri in Polonia futuris, majus certè
„imminere non poteſt, quàm â quinq;
„Sigiſmundi natis, qui utinam plures
„habuiſſet, Polonia non recidiſſet ad
„orbitatem; illuſtri documento quàm
„multa, quod abſit omen, illuſtribus
„familiis numero etiam munitisſimis,
„incidere poſſint. Et verò quod onus
„tandem fringi poteſt. An regnum
„exactionibus gravabitur? minimè ve-
„rò: Certi ſunt regii reditus, numero
„liberorum nec augendi, nec minuen-
„di. At officia & beneficia in eos di-
„ſtribuet? ne hoc quidem. Capitu-
„lationes honeſtas ſibi, ut valetis, cir-
„cumſcribi patietur. Et verò jam tum
„Polonia ſibi providit, antequam iſti
„vitilitigatores nati eſſent. Nam &
„Paulus Piaſecius Epiſcopus Premisli-
„enſis in Chronicis ad annum 1632. re-
„fert Regem inſciâ Republicâ officia &
„beneficia filiis ſuis conferre non poſſe.
„Quod uti veriſimum eſt: ita hoc
„quoq; onus ipſo jure nullum eſt, ſed
„tædet in objectione manifeſtè inani

verba

„verba perdere, cui hoc unum respon-
„deri satis est: Neoburgicum filios non
„adducturum, nisi quos Poloni volent,
„adductis nihil collaturum, nisi quod
„iidem volent: breviter quicquid one-
„ris Reipublicæ imminentis dici, cogita-
„ri, fingi potest, id tollere, permittere,
„moderari, in absoluta eorum potesta-
„te esse, & per consequens, quia nemo
„se sciens gravat, nullum esse.

PROP. XXXII.

„ Eligendus PATIENS ET
„ MODESTUS esto.

Poloni libertatem quærunt, quantam maximam possunt *per prop. 3.*
Libertas est immunitas à Superiore.
Ergo & à superioris agnitione seu submissione.
Ergo & à signis submissionis alieni sunt. (Saltem illorum aliqui.)
Signum submissionis est *honor*.
Ergo honorem quantum maximum possunt

possunt, sibi, quantum minimum, aliis tribuunt.

Ergo nec honorem semper dant, neque ejus contrarium semper non dant, seu nec semper â contumeliis abstinent.

Ergò aut crebrò cum iis dissidendum.

Aut necesse est, ut & crebrò feras contumeliam, quod est *patientis*.

Et non crebrò exigas honorem, quod est *modesti*.

Jam Regem â suis crebrò dissidere, periculosum.

Ergo eligendus PATIENS ET MODESTUS *esse debet.*

Idq; tanto magis, quanto facilior externæ pompæ jactura est, modò potestas ipsa debita teneatur. In Belgio dum ordines fœderati liberas plebi linguas permittunt, seditiosa omnes loquuntur, seditionem nemo excitat. Cæterùm imprimis in petendo Regno Poloni â

Candidato modeſtiam requirunt. *Fredro in Henricæi regiminis hiſtoria* refert, diſplicuiſſe Polonis præmaturam Oratorum Cæſareorum pro Erneſto Archi-Duce intercedentium in Regno diſcurſationem. Quid ſi illi nunc viverent, cum inter viſcera Regni tot annis *Condæana* factio nihil non tentavit? Sigiſmundum Marchionem Brandenburgicum, Ludovici Regis generum; (nam Hedwigis poſtea Jagelloni nuptæ ſororem duxerat,) Succeſſorem Poloni, contemtum repulsâ vindicantes, vel ideo excluſerunt, quod Proceres quosdam eorum Convivio aliquando non adhibuiſſet. Quid nunc illi ſuperſtites dicerent, ſi viderent *Moſcum*, filio coronam flagitantem, totam Rempublicam, quaſi imparem, literis non dignari, translato in Conſiliarios ſuos officio, quibus tamen ille perinde, ut ſervis utitur; quaſi ſcilicet Senatores Regni Poloniæ Regis Ephori, non plus in Republica, quàm Moſcica illa mancipia, ſolo magni Ducis nutu caſura, poſſent. Maximilianus Archidux,

quòd

quòd arma in Polonos pro Corona expediſſet, inviſam illam Auſtriacis legem meruit. Quid Moſcus? qui nunc nobis & per Coſaccos & per ſuos non obſcurè extrema minatur. Vladislaus ultimus filius Regis, propè certus Rex, quòd ad Comitia Electionis injuſſus acceſſiſſet, non parum offendit: At nunc *Lotharingum*, Principem extraneum, regno incognitum, interregni tempore accedere ad regni fines, Candidatum priùs quàm amicum agere, Legatum ſui ipſius eſſe, ſerere in propinquo ſemina factionum, pro *argumentis armamenta* è vicinia oſtentare, (certè aliquot militum millia non procul Cracoviâ conſiſtunt) id multi antiquæ generoſitatis retinentiores ſatis concoquere non poſſunt. Mallent domum redire, & patienter expectare, quid de ſe ſtatuat Respublicæ, quam fictâ popularitate incautorum juvenum animos prenſare, & occaſionem turbis præbere. At *Neoburgicus* patientiæ modeſtiæq; grandia ſatis documenta dedit; Regiæ ſtirpi ſanguine proximus,

tum matrimonio illigatus, Regibus, Gentiq; charus, cùm publicè de vivi Regnantisq; ſucceſſore tractaretur, aliquot abhinc annis, nec deeſſent, qui hortarentur, ut ſuum quoq; jam tum inter Candidatos nomen profiteretur, noluit, quâ erat modeſtiâ, intempeſtivo & illegitimo ambitu notam ſibi gentis generoſitatem irritare, paſſus eſt, de Anguinio, Longavillæo, Eboracenſi aliisq; nihil prorſus ad Poloniam pertinentibus, tractari, nihil ſe commovit, melioribus temporibus commendavit ſpes ſuas, quòd ſolita ſibi prudentia prævideret, intempeſtivis illis Candidatis non duratura diu ſtudia gentis, evigilaturos paulatim prudentiores, qui agnoſcerent, qnàm pernitioſo in libertatem exemplo, & ſoli Jagelloni vix ægrè, nec ſine pœnitentia permiſſo, præſenti Regi Succeſſor deſignaretur. At, inquies, Neoburgicus cum exteris de Corona noſtra tractavit. Quid tum? oſtendemus infra *prop. 57.* aliud eſſe Exteris *niti*, aliud *uti*. Si excluſi prorſus â nobis Exterorum Miniſtri

ſtri eſſent, ne uti quidem illis fas eſſet, nunc quando Moſchicis, Gallicisſanti-bus, Auſtriaſtris pleni ſumus, nonne contrariis artibus obviam eundem eſt; nonne commercia cum illis ineunda ſunt, ut ſi non proſint, ſaltē ne noceant.

PROP. XXXIII.

„Eligendus QUIETUS eſto,
„ ſeu BELLATURIENS
„ ne eſto.

Polonia debilitata eſt, *per prop. 16.*
Eadem ſolà quiete convaleſcet, *per Prop. 2. Coroll.*
Ergo quiete indiget.
Ergo & quieti Rectoris.
Ergo Eligendus hoc rerum ſtatu QUIETUS eſto.

Componendis magis domi rebus, & colendæ foris amicitiæ, quàm novis molitionibus, & irritandis vicinis intentus. Moſcos certè, Turcas, Tartaros,

quiescentes, non nisi stultè lacesſemus. Sinamus eos collidi inter ſe Potius, uti jam cœperunt, & artificioſis flabellis diſcordiam eorum alamus, illud *Taciti cogitantes*; *Maneat duretq; gentibus ſi non amor noſtri, ſaltem odium ſui, quando vergentibus Imperii fatis nihil fortuna dare majus poteſt hoſtium diſcordiâ.* Si ſic agemus, Octavianus Auguſtus aliquis, ſedatus at prudens Princeps, æquè magnas res geret, quàm Julius Cæſar, aut Germanicus, cladibus paſſim datis acceptisq; irritantes magis hoſtem, quàm delentes. Unde Tiberii conſilium rectè idem *Tacitus* extollit, qui inter Maroboduum & Arminium odii ſemina ferens, alterum per alterum fregit, Germanicum verò vehementius invehentem, & magna cautis Præferentem, maturè è Germaniâ revocavit. Porro de *Moſci* pueri genio dici non poteſt, de *Lotharingo* hac in parte non ſatis, ferociam tamen non nulli & nobilitatem ex naturâ familiæ, gentis, educationis, tum etiam ex *transfugio* ab Hiſpanis ad Gallos (quod contigit cùm Patruo ab Hiſpa-

Hiſpanis vincto ſperaret, Gallos ablatam ei ditionem ſibi ſoli reddituros) & *refugio* à Gallis ad Auſtriacos cùm factam à Gallis ſpem decollare videret, non abſurdè ominantur. *Condæi* impetuoſitas, & nimius bellandi ardor, ſatis comperta. De eo hæc nuper Polonus aliquis, ſed juſto acrius ſcripſit, quare nec per omnia probanda ſunt. „In urbium, inquit, in caſtrorum oppugnationibus nulla ei humani ſanguinis reverentia, ac parſimonia fuit, „cadaveribus foſſas implere ludus, majore ſuorum ſtrage victoriam emere, „gloria; plus ſemper caloris, quam „conſilii. Tum Galliam factionibus, „bellis, turbis implevit. Regem ſum propè dubii juris, dubitatus ipſe, „facere auſus eſt; in hujus perniciem „extrema moliebatur. Cum verò innatus apud Gallos legitimi Principis „amor prævaleret, ad Juratos Gallici „nominis inimicos, Hiſpanos transfugit, atrociſſimum patriæ hoſtem ſe „præbuit, tandem in gratiam receptus „ſuam ipſe culpam agnovit. *Neobur-*

gicum nemo talium reum peragere poteſt, flagrante bellis Germaniâ inter paucos medium ſe geſſit, neq; Gallis, neq; Suecis, neq; Auſtriacis ſe miſcuit; alibi ei meliores ſpes fata parabant. Compoſito Bello Germanico ad ſimultates cum Electore Brandenburgico tractus, omni operiſus eſt, ut quàm primum in perpetuum valitura reconciliatio ſequeretur. Quod & magna providentiæ modeſtiæq; gloria efficit, & controverſiæ Juliacenſi finem impoſuit, quæ Europam aliquando in partes traxerat; & cum Electore Brandenburgico propè nato ſibi adverſario tam ſolidam amicitiam iniit, ut nunc alter alterum ad ſummas ſpes contendentem fovere non vereatur. Fœderi quoq; Rhenenſi, tuendæ paci Weſtphalicæ inito, non ſine autoritate nomen dedit, unus deinde fœderis viribus effectum eſt, ut Monaſterium & Erfordia ſuo quoq; Præſuli redderentur.

Idem aliter;

Rex *bellaturiens* eſt, qui bellum cupit ſine neceſſitate. Bel-

Bellum ſine neceſſitate inuſtum.
Injuſtum eſt contra ſcopum Poloniæ
per prop. 8.
Ergo & Rex bellaturiens eſſe non debet.

Idem aliter.

Rex bellaturiens dux ipſe eſſe ſolet.
Militiam ergo in poteſtate habebit.
Poteſtas in militiam deſpotica eſt.
Qui militiam Polonicam in Deſpotica poteſtate habet, ei in Polonia reſiſti non poteſt.
Quia ex quo *Quartiani* in Polonia conſtituti ſunt, cæteri cives, vel ut amoliti à ſe onus, non ita acriter ſtudio militari incubuerunt, arcanâ Regum arte enervandæ & virtuti, & libertati reliquorum intentâ.
Cui reſiſti intus non poteſt, is libertatem opprimere poteſt.
Idvero periculoſum *per Prop. 3. & 9.*
Ergo Rex BELLATURIENS periculoſus.

Satis documenti Polonis, Stephanus Bathoræus

thoræus dedit: Uladislaum ultimum valetudo deſtituit, Plebs Romana ſenatum incuſabat, bella ex bellis ſeri. Batavi quoq; Perpetuis timoribus bellorum, animos continent. Angliæ Rex largâ venæ ſectione opus ſuæ Reipublicæ eſſe credidit. Rectè Boterus notat, Orientales illos in India, Aſiaq; abſolutos Imperatores ſoli militiæ omnia deferre. In militia novorum hominum evehendorum prætextus non deſunt. Rex Daniæ infelici erga hoſtem bello proſperitatem in ſubditos debet. Neque enim deſunt, qui ſuadeant, partem Reipublicæ caſui objiciendam, ut reliqua abſolutiore Dominatu prematur; id quod exemplis probare obvium eſt.

PROP. XXXIV.

„ Eligendus ex FAMILIA
„ TURBULENTA
„ ne eſto.

Familia turbulenta turbarum haud dubiè cauſas habuit.

Muta-

Mutatio earum non præsumitur.
Ergo restante causâ restabit effectus:
turbæ.

Item.

Qualis familia, talis educatio præsumitur.
Qualis educatio, tale ingenium.
Quale ingenium, talis actus.
Ergo ex turbulentæ familiæ Principe turbæ præsumendæ.
Ergo eligendus è FAMILIA TURBULENTA ne esto.

Hæc propositio est contra *Condæum*, & *Lotharingum*; utriusq; familia turbulenta, fax & tuba motuum in Gallia; utraq; religionis prætextu. Illa reformatæ, hæc Catholicæ. Condæi arces munierunt, oppida ceperunt, exercitus duxerunt, peregrinos evocarunt contra Reges: Franciscum, Carolum, Henricum III. At Guisii & Lotharingi hoc amplius de Regno invadendo, Rege in monasterium detrudendo, familiâ regiâ extinguendâ cogitarunt; sese exve-

re re-

rè regia' Caroli Magni ſtirpe ortos jactârunt, ſibi regnum aſſeruerunt. Henricum III. Regem per ſicarium trucidârunt, Henricum IV. debito ſibi regno propè excluſerunt. Nuperrimè quid Condæi in Regem violentiâ, de qua paulo ante, quid Lotharingicâ inconſtantiâ notius? Carolus Candidati noſtri patruus, quoties patronos mutavit, quoties à Gallis ad Hiſpanos, aut contra, transiit? Ab utrisq; certè mercedem tulit, nam à Gallis ditione exutus, ab Hiſpanis, quibus tam diu militaverat, ad extremum captus, & in Hiſpania diuturno carcere detentus eſt. Dimiſſus Pyrenæâ pace ne nunc quidem quiescit; ut nuptias ejus taceam, quas vivâ priore conjuge cum vidua Ducis de S. Cruce contraxit, quæ ideo invaliditatis accuſatæ, ipſe excommunicationis Pontificiæ fulmine percuſſus, liberi minus legitimi declarati; At Caroli illius frater, Candidati novi Pater, Nicolaus Franciſcus, primum Cardinalis, deinde, cum infelix fratris matrimonium viderat, reverſus & ipſe eſt, liberos ſuſcepit,

ſcepit, Viennæ Imperatoria liberalitate ſuſtentatus eſt. Cùm frater in vinculis detineretur Hiſpanicis, copias ejus, favore Leopoldi Wilhelmi Archiducis, obtinuit. Sed à Gallis ſpe reſtituendi Ducatus illectus, deformi fugâ ſe proripuit, ſupellectile etiam ablatâ, quam illi Archidux ſplendidam inſtruxerat. Filii, quos inter & Carolus Candidatus noſter, à Parente moniti, Bruxellis, ubi ab Hiſpanis liberaliter habebantur, præcipitato raptim abitu Galliam, & ipſi, inſalutato hoſpite, petierunt. Sed cùm deluſos ſe viderent, & Gallos id agere cernerent, ut Ducatus omnino in provinciam redigeretur, Carolus neceſſitate compulſus, clementiam liberalitatemq; Cæſaris denuo imploravit, qua & hactenus vixit, & nunc quoq; unicè *nititur*.

PROP. XXXV.

» Eligendus DISSIDENTI-
» BUS vim ne facito.

In

In Polonia potentes sunt *dissidentes* & per se.

Quia jungent se in casu necessitatis, uti in conventu Sendomirienſi Lutherani, & Calviniani etiàm Theologicè; Græci verò & protestantes aliàs saltem politicè fecerunt.

Et potentiâ faventium vicinorum.

Lutherani suecorum & Danorum, Calviniani Brandenburgicorum, Græci Moscorum, Russorum, Cosaccorum.

Vis in Potentes periculosa est.

Ergo in Polonia vi in dissidentes abstinendum.

Ejus modi scilicet morbi non tam Chirurgiâ, quam Diætâ curantur.

Idem aliter.

Dissidentes membra Reipublicæ magna sunt.

Vis in ea bellum intestinum creat.

Bellum intestinum periculosum maximè Polonis *per Prop. 12.* maximè periculoso tempore *per Prop. 11.*

In primis *bellum sacrum.*

Quo

Quo nullum atrocius geri ſolet, plebe vel Religione accensâ, vel ſuperſtitione a fuſci natâ. Neq; enim quisquam affectus prudenti, ne dum ſimplici, æternæ vitæ appetitu ardentior eſſe debet. Accedit, quòd qui ob religionem bellum gerant, alios ob eo damnatos, Deo, exoſos beſtiis deteriores, jure occidendos, generis humani peſtes, animarum prædones, creaturas execrandas putant.

Ergò *BELLUM SACRUM INTESTINUM Polonis vitandum.*

Idem aliter:

Si diſſidentes vi in eos factâ vincentur, durior eorum quàm reliquorum civium condito fiet.

Ergo potentia eorum minuetur.

Potentia autem iis adempta, transferetur facilius in propiorem, quàm remotiorem.

Proximus autem victo, tempore victoriæ, eſt immediatè vincens.

Scilicet is, cujus auſpiciis bellum geretur, nempe Rex.

Ergo

Ergo oppreſſorum civium potentia in Regem transferetur.

Id libertati periculoſum.

Si ipſa victoria noſtra nobis periculoſa eſt, quanto magis aut incerta belli alea, aut clades erit?

Vel cujus rei eventus felix periculoſus eſt, ea tota periculoſa eſt.

Ergo bellum in diſſidentes libertati periculoſum.

Scilicet ſi vincantur; ſin vincant, noſtræ ſecuritati periculoſum erit: Utrumq; contra ſcopum Poloniæ. *per Prop* 3.

Eligendus ergo vim diſſidentibus ne facito.

Cui non dictus Hylas? Argumentum ergo à verſantium multitudine prope detritum, de *libertate Religionum* non reſumo. Hoc unum præterire non poſſim, quod *Gramondo* excidit, optabilem ſcilicet Gallis proteſtantium exarmationem fuiſſe; ſi eadem nunc genti quæ ſtante *Rupella* fuerat, libertas ſupereſſet. Apud nos res controverſiâ caret,

caret, postquam ordines extinctâ in Sigismundo Augusto masculâ Jagellonum stirpe anno 1570. 28. Januarii, sine discrimine, libertati religionis publico edicto, & solenni juramento caverunt, & ex eo tempore in eadem verba Regis omnes adegerunt. Cæterùm hæc propositio est contra *Moscam*, cujus natura est disidentes à seperlequi. Græcorum in latinos implacabilia odia sunt; Turcis quàm Catholicis Palæstinam seque maluerunt. Christianos negant, qui ter mersi non sunt & in summa ruditate rationi & historiæ aditus non patet. *Lotharingus* quoq; est, cur suspectus haberi poterit; insitum illi familiæ, implacabiliter Protestantes odisse strages Gallicæ, Parisiensium Nuptiarum infame nomen, tumentes sanguine rivi his consultoribus debentur. Nec quicquam perfectum, nisi ut ipsi Catholici in summum discrimen adducerentur. Donec Henrico IV. Rege longè aliis artibus recuperato, remittentibus mutuò odiis pleriq; ad Ecclesiam sponte redierunt. *Condæus* meminit credo,

do, ex quibus ipse sit. *Neoburgicus* quàm non nimis faveat Protestantibus, susceptum cum Brandenburgico certamen; quàm non oderit, ditiones ejus in quibus Imperii leges servat, satis abundeque confirmant. Certè quando plus in movendis animis ars importunitate possit, domestico in secunda conjuge exemplo comprobavit. Hanc enim Hasso-Saxonicâ paternâ avitaque domo natam desponsam Lutheranam, duxit Catholicam; stupentibns cunctis, qui eam ante damnassent propè conjugium, nunc dexteritatem Principis in re difficili tanto gloriosiorem, quanto insperatiorem admirabantur.

PROP. XXXVII.

„ Eligendus DESPOTICO
„ REGIMINI seu absolu-
„ tæ potestati ASUE-
„ TUS ne esto.

Quò absolutior potestas, hoc magis fit quod Rex vult.

Fieri

Fieri quod quis vult jucundum.

Jucundum est bonum saltem apparens (qnod ad movendos animos sufficit) & quidem maximum.

Nam alia pro bonis habentur, quia jucundi causa sunt:

Ergo absoluta potestas bonum, & quidem maximum apparet.

Bonum suetum magis expetitur.

Svetum est *bonum* cùm quis diu expertus est sive voluptatem præsentiæ in se ipso.

V. g. qui ipse ex domo regnatrice est, ut *Moschus*.

Sive dolorem absentiæ in se ipso, in alio voluptatem.

V. g. qui ex ~~Republica~~ Regno, ut *Condæus*, aut gente despoticè regnata est, ut *Lotharingus*. Maximè, si non gens aut Respublica tantùm, sed & persona ejus sub illo despotico regimine, multa passa est, quod & *Condæo* & *Lotharingo* à Rege Galliæ contigit.

Huic ergo absoluta potestas magis expetitur.

expetitur. Id verò Polonicæ libertati periculosum.

Ergo eligendus ABSOLUTÆ POTESTATI subditus ne esto.

ALIQUOT LEMMATA.

Hactenus *dotes Candidati absolutæ* expositæ sunt, nunc de *relatis*, amicitiâ, & hostilitate, videndum est, quas cum Polonis aliisque exercet. Ideo de natura *veræ amicitiæ, beneficii, & gratitudinis aliquot lemmata præmittemus.*

PROP. XXXVI.

„ Verus amicus Amici bona
„ per se expetit.

Ubi vera amicitia, ibi amor.

Amare est delectari alterius bonis.

Innumeras Platonicorum de *amore & pulchro* contemplationes, à Philosophis, inprimis Italis, ingeniosis Viris, penultimo & ante penultimo seculo resumtas, invenimus tandem huc omnes redire. Et ratio suadet; Nam *amor* pul-

pulchri est. Pulchrum est, cujus contemplatio jucunda est; cujus contemplatio jucunda est, ejus bonis delectamur. Ergo *amare* est alterius bonis delectari:

Quod delectat, per se expetitur, licet non ob utilitatem.

Rectè Epicurus olim & Laurentius Valla in libello de summo bono, & nostra memoria defensor Epicuri Petrus Gassendus, summum bonorum involuptate collocarunt. Nam si, abductâ à scolasticorum inanibus verbis, mente, respiciamus ad praxin vitæ, apparet, ubique nos voluptate duci, dolore absterreri. Quis pius est, quem non cœli præmia excitent, horror inferni percellat? Etiam quod solius Dei amore fit, id ob eam voluptatem fit, quæ ex contemplatione Dei capitur. Nam hoc ipsum est *amare*: contemplatione alterius *delectari*. Certè sola *voluptas* alterius causa non expetitur; Quid enim est, quod ultra gaudii perpetuitatem optemus? cætera bona ideo tantùm bona sunt, quia vel efficiunt voluptatem, vel tol-

lunt

lunt dolorem. Voluptas autem eſt, vel animi hinc *Bonum Honeſtum*; vel Corporis, hinc *Bonum Jucundum*; vel cauſa, aut requiſitum utriusque: *Hinc bonum utile.*

Ergo verus Amicus Amici bona per ſe expetit.

Licet enim alia utilitas noſtra non intercedat, hoc ipſum tamen ſatis utilitatis eſt, cujus bonis delectamur, ejus bona aucta delectationis materiam nobis auxiſſe. Hoc diſcrimen eſt veræ *Amicitiæ* à forenſi, in qua multorum familiaritate utimur, non ut delectent, ſed ut proſint. Cæterùm, ut verè amicus amici bona per ſe expetit, ita & malis condolet; & ex hoc confirmatur, noſtra *Amoris* definitio, quæ conſiſtat in *congaudendo* bonis alterius, *condolendo* malis.

COROLARIUM.

» Verè amicus magnum bo-
» num alterius Parvo
» ſuo Præfert.

Bonum

Bonum est, quod appetitur.

De quo *Cardinalis Sforzia Pallavicinus* ingeniosissimo opere *de bono*:

Ergo duo involvit, à quibus intrinsecè æstimandum est: id quod appetitur, & ipsum appetendi modum.

Æstimatio illius est, quantitatis, molis, & extensionis; Æstimatio hujus est qualitatis, virtutis, & intensionis; illa materiæ, & objecti, hæc formæ & modi.

Appetendi modus eo variat, quod aliud per se, aliud ob aliud expetitur.

Per se expeti, summum est; propter aliud, infra summum.

Summitas non recipit gradus; quod vero infra summum est, id recipit, dum aliud aliò propiùs summo.

Ergo per se expeti, non recipit gradus, seu non potest, aliud magis, aliud minus per se expeti.

Porro bonum veri amici per se à nobis expetitur *per Prop. 36.*

Ergo

Ergo quod attinet ad gradum appetendi noſtrum, non differt illud à ſummo Bono noſtro.

Ergo reſtat, ut æſtimetur tantum quantitate boni in ſe ſpectatâ.

Ergo bonum verè Amici majus; noſtro minori ſimpliciter, etiam nobis majus eſt.

Ergo verè Amicus magnum bonum alterius parvo ſuo Præfert.

PROP. XXXVIII.

„ Vera amicitia eſt non niſi
„ inter valde aut ſapien-
„ tes aut ſtultos.

Verè amici bonum per ſe à nobis etiam ſine utilitatis reſpectu expetitur *per Prop. 37.*

Interea, etſi utilitatis reſpectu non expetatur, ſuâ naturâ aut utile eſt, aut anceps, vel etiam (quod deterius) planè damnoſum.

Utile

Utile ſuâ naturâ illud bonum eſt, quo abuti nemo poteſt.

Quicquid *abuſus* incapax eſt, erroris damnoſi incapax eſt.

Erroris damnoſi incapax eſt is ſolùm, qui quod optimum factu ſit, novit.

Scientia optimi *ſapientia* eſt.

Ut ſcientia boni *Prudentia.*

Ergo bonum amati ſuâ naturâ utile, ſola ejus *ſapientia* eſt.

Et quia in amicitia mutuus amor, mutua etiam ſapientia erit.

Cætera bona omnia, ingenium, robur, decus, opes &c. abusûs capacia ſunt.

Ea per ſe amare, eſt id per ſe amare, quod incerti eventûs eſt, & ita aliquando damnoſum eſſe poteſt.

Rem verò incerti eventûs per ſe, id eſt, in omnem eventum, ſeu nullo

lo utilitatis, damnique reſpectu amare, ſtultum eſt.

Et quia mutuus amor, mutua etiam ſtultitia erit.

Ergo vera amicitia non eſt; niſi inter aut ſapientes valde aut Stultos.

Hinc patet omnes illas teneriores *amicitias* inter neceſſarios, fratres, conjuges, collactaneos, condiſcipulos, ſocios periculorum, conterraneos, ſi ſapientiâ non condiantur, aut eſſe inſtabiles, & momentaneas, aut ſtultitiâ, tantumque puerili luſu, vel fœmineâ molitie, magisque appetitûs ſenſitivi impetu, quàm ratione contineri.

PROP. XXXIX.

„ Amicitia vera non niſi animi eſſe poteſt.

Amicitia vera eſt delectari amici bonis.

Non hoc aut illo ſcilicet ejus bono in

in ſpecie, ſed abſolutè delectari hoc ipſo, quod illi bonum ſit.

Et ita delectari ipſo Perſonæ corpore aut animo.

Corporis bona mutabilia ſunt, & à perſona ſeparabilia.

Ergo qui corporis in aliquo bona amat, perſonam per ſe non amat.

Ergo omnis amicitia in amorem ANIMI alterius reducitur.

Nam ut rectè olim *Plato*, nunc *Carteſius*, *mens* eſt illud, quod ſumus.

PROPOS. XL.

„ Amicitia vera non niſi ex
„ intimæ FAMILIARITA-
„ TIS converſatione
„ naſci poteſt.

Amicitia vera eſt fixus amor, ſeu amor cum intentione perpetuitatis.

Amor niſi noti eſſe non poteſt.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 93, [129] - 121
PUBLIC DOMAIN

Et fixus amor non nisi ex notitia exacta, aut ejus saltem opinione (illud in sapientibus, hoc in stultis.)

Nemo exactam notitiam alterius, vel habere, vel quod habeat, sibi persuadere potest, sine intimæ familiaritatis conversatione.

Ergo amicitia vera non nisi ex intimæ familiaritatis conversatione nasci potest.

Familiaritas est, aut animorum tantùm, qualis etiam inter ignotos per litteras esse potest, aut corporum quoque. Quanquam fatear, raro posse veram amicitiam existere, nisi & corpora familiaria fuerint. Nam & exacta animi notitia vix, nisi & corpore perspecto, haberi potest. Multum physiognomia, multum sermonis habitus, opinionem de altero adjuvat, & in repentinis eorùm vocibus difficilior, quàm meditatis scriptionibus dissimulatio est. Porro *sapientum amicitia* animo maximè, *stultorum* corpore conciliatur.

PROP.

PROP. XLI.

„ Amicitia vera hodie inter
„ principes rara est.

Raro hodiè inter Principes intimæ familiaritatis conversatio est.

Neq; etiamadmodum suadenda. Nam animos puros servari decet ab affectibus, ut statûs rationi intentius invigilent. In numera exempla sunt *ejus quodinter est* inter pocula deserti. In congressu trium magnorum Principum, Maximiliani. 1. Sigismundi Poloni, Ludovici Hungari concluſum est connubium illud cum Austriacis, quod istis in Hungaria & Bohemia fundamenta jecit. In congressu Dresdensi Archiducum Austriæ cum Electore Saxoniæ, paulo ante bellum Bohemicum, tarda illa consilia, septem viri animis insinuata, quibus prope se pessundedit. Solent & ministri alterius alterutrius auro occupari. Multi in Germania quæruntur, plus in Westphalia, ac Noribergæ conviviis, quàm in toto Impe-

rio armis Auſtriacos geſſiſſe. *Cominæus* rectè notat, periculoſos eſſe magnorum principum congreſſus, idque ille præſens exemplo Caroli Burgundi, & Eduardi Angli comprobat. Etiam induci ſolet varià quædam oſtentationis comparatio, ex qua plus odii quàm amoris non raro naſcitur: conſtat enim unius aculeati dicterii memoriam in omnem vitam hæſiſſe. Ut de inſidiarum metu nihil dicam:

Ubi rara intimæ familiaritatis converſatio, ibi rara quoq; vera amicitia.

Ergo inter Principes rara vera amicitia eſt.

Neq; etiam ſuadenda; nam ipſos non ſibi ſed Reipublicæ vivere decet: Principibus, ut rectè Argenidi Meleander, ea dulcedo exuenda eſt; nihil gratiæ dandum, quod utilitati decedat. Innumeris exemplis conſtat, rebelles vitâ donatos præpoſteram miſericordiam parricidio penſaſſe; ſed illuſtrius nullum eſſe poteſt, quàm ipſius Jagellonis, non-

nondum Christiani, qui toties â cognato Vitoldo servatus, quam gratiam ejus parenti Kieystuto rependerit, legi apud *Koialowicium* potest. Cæterum Principes, Juvenes rarius hodie, nisi cognati, simul educantur, peregrinationibus quoque à prudentioribus prohibentur. Hinc amicitiarum fundamenta jaci vix possunt, sed nec duraturæ facilè sunt. Principum non stultorum amicitiæ. Omnibus enim affectibus dominandi cupiditas flagrantior. Navarrenus, & Guisius tam arctam Juvenes familiaritatem contraxerunt, ut communi etiam lecto uterentur: Iidem postea internecinis odiis in publico Galliæ theatro conflixerunt:

PROPOS. XLII.

„ Amicitia vera INTER
„ RESPUBLICAS nulla est.
„

Amicitia vera non nisi ex animo est, *per Prop. 39.*

Animus nonnisi personarum naturalium est, civilium nullus.

Item:

Respublica est una persona civilis, sed in qua naturales sunt in perpetuo fluxu.

Ergo & animi eorum.

At *amicitia vera* non nisi *fixa* esse debet cum intentione perpetuitatis.

Ergo inter Respublicas vera amicitia nulla est, ergo nec odium.

Multa de populorum naturali Antipathia jactantur, quemadmodum Carolus Garcias Hispanus, & La Mothele Vayer, Gallus, de Gallorum & Hispanorum odio peculiare quisq; opus composuere. Sed si acutius introspicias, semina aliqua à natura jacta fatebere, at quæ non nisi novis causis, iisque non perpetuis erumpant. Nulla olim Gallorum & Hispanorum sed Gallorum, & Anglorum Antipathia memorabatur. Nunc contra, (etsi fortasse aliquæ supersint in plebe reliquiæ) in prævalentem

Hisa-

Hiſpanum aliquandiu ab utrisque conſpiratum eſt. Quis crederet, inter Hiſpanos & Batavos odia ceſſatura: Unde ingenioſi Poetæ illud de viro quodam Magno, multarum linguarum perito:

Et quod poſtera ſecula obſtupeſcant:
Hiſpanus ſimul, & ſimul Batavus.

Ceſſarunt tamen & propediem incipiunt in Gallos transferri. Vicini etiam plerumque odiis colliduntur. Hinc Galli olim Polonis, longè quàm Germani gratiores; nunc poſtquam mutuò ſe experti ſunt, contra eſt. Sed éſto, ſint toti populi ſibi infeſtiſſimi; aliud populus, aliud Reſpublica eſt. Si Rectores ſe ament, jam inter Reſpublicas amicitia erit, ſed non *vera*, non *fixa*, non duratura ultra Rectorum vitam.

PROPOS. XLIII.

» Beneficium (& damnum)
» plus animo dantis, quàm
» facto æſtimandum eſt
» cæteris paribus.

Signatur: Leibn. Marg. 93, [135] - 127

Qui vult juvare, (nocere) ille, quoties poteſt, facit.

Ergo animus bonus, (in aliis) ſeu voluntas juvandi (nocendi) indefinitè tot beneficia (damna) virtute continet, quod aliquando poſſibilia erunt.

Plura autem ſimul ſumta, cæteris paribus, quiddam uno majus conſtituunt.

Ergo cæteris paribus BENEFICIUM (damnum) *plus* ANIMO *quam facto æſtimandum eſt.*

Beneficium eſt factum unius, quod eſt cauſa boni alterius; perinde, ut *damnum* mali. Utrumq; aut *caſuale*, aut *voluntarium*. Caſuale aut contra aut præter *voluntatem*; Voluntarium, aut *tertii* aut *dantis* aut *accipientis* causâ collatum. Ex his propoſitioni præcedenti applicatis hæc *Corollaria* ſequuntur: (1.) *Beneficium caſuale contra voluntatem* (v. g. ſi incendiarius flammam domui injiciat & eo terrore Dominus Podagrâ,

hujus-

hujusq; præsentiâ, & sedulitate rursus domus igne liberetur:) ~~(ipso nihilo adhuc minus esse.)~~ Scilicet incontrarium versum, & potius pro damno habendum. Uti numeri illi ficti in Algebrâ tria demtis quatuor, 3 -4. Et uti obæratus ille dicebat, aliquam multis talentis opus est, ut nihil habeam (2) *Beneficium casuale propter voluntatem* ~~(quod~~ & in bruta cadit: v. g. cujusdam dormientis os grandis bufo constrinxerat; dum igitur experge factus amoliri non potest, & hæret miser araneus è summo tecto collineans uno ictu bufonem interimit. Fingamus hominem amore aranei captum, accuratè eum servari curâsse, & in cibum ejus aliquot muscarum greges aluisse; quis non eam gratitudinem stultam, & risu dignam habiturus erat!) ~~(nullum esset.)~~ Nam cum ab animo æstimandum sit, & animus sit nullus, nulla etiam æstimatio erit, dificiente velut forma beneficii: Cæterum si hoc nullum est, quod est præter voluntatem, adhuc minus & ita minus quàm nullum erit (3) *beneficium voluntarium, quod alterius*

terius causa datum est, esse exiguum; 4. *quod dantis causa datum est, esse SEMIBENEFICIUM* 5. *quod accipientis causa, id demum esse INTEGRUM.* Nam quintus & mihi & meâ causâ prodesse vult; quartus mihi sed suâ causâ; ergo dimidium requisitorum abest; erit ergo *semibeneficium*; id vero adhuc tolerabilius, ipsum se quàm alium mihi prætulisse, ergo ille in ordine tertius, qui alterius causa me juvat, ne *semibeneficii* quidem nomen meretur. Cæterum hæc eadem de *damno* seu *maleficio* pari ratione intelliguntur.

PROPOS. XLIV.

„ Ubi beneficium in facto si-
„ mul & animo, ita contrà
„ gratitudo in solo animo
„ consistit, seu pro benefi-
„ cio nil nisi par ANI-
„ MUS debetur.

Debetur enim quod alter præstitit.

Sed

Sed nec alter niſi animum præſtitit, occaſionem expectavit.

Ergo nec beneficiarius niſi ad animum tenetur, ſeu ſummum conatum, ex quo datâ ſimiliter occaſione factum ſponte ſequetur.

Ergo gratitudo in ſolo animo conſiſtit.

Scilicet ut per nos non ſtet, quo minus beneficium referatur; ſeu ut pro virili noſtra parte nihil deeſſe patiamur.

PROPOS. XLV.

„Beneficio CASUALI nulla
„ gratitudo debetur.

Nam in beneficio Caſuali animus juvandi non eſt.

Ergo nec animus referendi debetur.

Jam in ſolo animo referendi, omnis gratitudo, *per Prop. 44.*

Ergo beneficio Caſuali gratitudo nulla debetur.

Hinc

Hinc ſequitur pro *beneficio caſuali contra voluntatem* ei qui animo nocendi imprudens profuit (ſi daretur ut bonorum ita & malorum debitum) nihil aliud debitum iri, quam itidem animum nocendi, cujus eventus etiam fortunæ permittatur, ſi detorquere ictum, & mutare venenum in medicinam inuſitatâ felicitate velit: ſimiliter pro *beneficio caſuali præter voluntatem*, deberi nihil, quàm ut rerum, noſtrarum ſatagamus, & fortunæ permittamus, ſi eâ occaſione alteri felicitatem moliatur.

PROP. XLVI.

„Beneficio etiam voluntario
„non accipientis, ſed dantis
„aut tertii cauſa vel amore dato, gratitudo itidem non debetur.

Ergo qui ſuo vel amici commodo nobis profuit, debemus itidem nil aliud quam ut noſtro Proſimus

mus ipsi; id est, ut quemadmodum aliàs, conemur prodesse nobis ipsis.

Interim non impediamus obiter sua sponte internascens ipsius bonum, nobis non malum.

Sed adhæc jam tum & nobis, & cuilibet homini *naturali jure* tenemur.

Ergo ex beneficio tali nulla nova obligatio est. Jam *gratitudo* est obligatio ex beneficio orta; ergo beneficio tali nulla gratitudo debetur.

Ergo *soli beneficio integro, seu ex nostri amore profecto, gratitudinem debemus.*

Hæc *lemmata* ideo in primis â nobis curiosius exquisitiusq; demonstrata sunt, ut vulgares quædam opiniones, quas de Principibus Viris plebs concepit, animis excuterentur. Nam si principem Principi familiarius assuescere, si cœptis

ptis ejus favere, si beneficia accipere, aut dare vident, causarùm ignari, jam veram amicitiam, jam gratitudinis necessitatem somniant, quæ omnia procul à vera status ratione remota sunt. Nam demonstravimus, inter Respublicas ipsas veram amicitiam nullam esse posse *Prop.* 42. Ex quo sequitur Principes quoque, si status rationem, idque quod suæ Reipublicæ interest, servare velint, veros amicos esse, nisi ambo sapientissimi aut stultissimi sint, *Prop.* 38. ~~non posse~~, sed & alia ratione idem evicimus, cùm enim conversatio fundamentum amicitiæ sit *Prop.* 40. conversatio autem principum rara sit, amicitia quoque inter eos rara erit, *Prop.* 41. Neq; vero ex beneficiis amor arguitur. Non enim amicus verus est, nisi qui alterius bona per se expetit, *Prop.* 36. procul aut spe suâ, aut mutuo metu. At vero beneficia pleraque, non ex amore sed utilitatis propriæ cogitatione proficiscuntur. Illis vero nec gratitudo ulla debetur, *per Prop.* 44. 45. 46. Cùm igitur inter Principes raro vera amicitia

sit

sit, nisi cognatos, aut simul educatos *per Prop. 41.* Beneficiis autem tantùm exrerâ amicitia profectis gratitudo debeatur, *per Prop 46.* consequens est, metuendum non esse, ut Candidatus, Polonico solio impositus, ei qui prius juvit, cum detrimento Reipublicæ gratus futurus sit, nisi necessitudine interiore devinctus, *aut quod inter est*, utrique commune sit. Hæc *Theoremata* sunt contra Moscum, Condæum, & Lotharingum; non contra Neoburgicum. *Moscus* enim Rex factus haud dubie amabit suam familiam, gentemque & illa ipsum. Ergo mutua in Poloniam conspiratio erit, nam & utilitas utrique communis erit: Polones domari. Mosco quidem, ut suam ditionem augeat, ut perpetuum invicinia hostem frangat, Regi Moschico, ut facilior sit ad opprimendam libertatem via. *Condæum* equidem amore Regis sui nullo aut exiguo teneri, facilè concesserо, sed tamen Monarchiam Gallicam amare, hanc promotam optare, nemo negaverit, tum Patriæ affectu, tum spe sua; Condæana

dæana enim familia Navarrenæ proxima est, & 30. ab hinc annis propè successionis certa erat. Accedit *ejus, quod interest, coincidentia.* Nam si Condæus Rex fiet, scopus ejus erit, potentiam augere, libertatem opprimere. Hic in Vicinia Adversarios Austriacos habebit, hos fractos cupiet; *eosdem fractos cupiet* Rex Galliæ prosequendæ Monarchiæ causa. Ergo hactenus amici erunt, ut Rex Galliæ Condæum in opprimendis Polonis, Condæus Regem in debellandis distinendisque Austriacis juvet. *Lotharingus* nisi prorsus ingratus est, aliquo necesse est amore Cæsaris Domusque Austriacæ teneatur, in qua educatus est, cujus beneficio tam diu lautè vivit, quæ summa quæque licet aliquando non satis merito procurare studet, quæ secretioribus eum pignoribus sibi obstrinxit, quæ non obscure generum designatum habet; si qua unquam hæc certe officiendæ veræ amicitiæ paria sunt, sed & utilitatum communio stimulat. Nam Lotharingus, cum gener erit, orbitati cæsareæ immi-

imminebit: Imperatoris etiam Romani & Hungariæ Bohemiæque Regis nomen affectabit. Sin Domus illa Augusta novis velut supplementis, quod omnes optant, instaurabitur, grandes equidem spes fistas omittet, communi tamen consilio res agentur. Austriaci Polonis sub jugum redigendis omnia conferent, contra à Genero jam firmato certum contra Turcas, Bohemos, Germanos, Gallos auxilium habebunt. Tales suspiciones in *Neoburgicum* per naturam rei non cadunt. Amore equidem Austriacis, Gallis, &c. extra ordinem obstrictum nemo prudens dixerit.

PROP. XLVII.

„ Eligendus ORBI CHRI-
„ STIANO gratus esto, seu
„ Orbis Christiani consenti-
„ entis consilia in eligen-
„ do à Polonis utiliter
„ audientur.

Orbis

Orbis Christiani & Poloniæ scopus coincidit, *per Propos. 7.*

Quorum scopus coincidit, eorum bonum idem est.

Ergo alter alterius bono delectatur.

Ergo verè Amici sunt.

Amicorum verorum etiam amici communes sunt.

Nam omnia communia sunt, dum quisque alterius bonum per se expetit, *per prop. 36.* seu pro suo computat.

Ergo qui Orbi Christiano consentient; gratus charus commendatusq; est, Polonis quoque commendatus esto.

Ergo in Eligendo, ORBIS CHRISTIANI *consilia utiliter á Polonis audientur.*

Hæc propositio uni *Neoburgico* favet, cæteris omnibus adversa est. Moscum certè nemo Christianorum Principum suadet, nota ejus perfidia, barbaries, Tyrannis. Etiam Pontifex Maximus, etiam

etiam Clerus insidiosam illam Pellaciam vitandam. Porrò *Lotharingicus* & *Condæus* inter se orbem Christianum factione quadam diviserunt, cum enim potentissimæ Domús sint, & quæ Monarchiam affectent, aut minentur; Austriaca & Borbonica; seu Hispanica & Gallica; illa Lotharingum, hæc Condæum, omni nisu fovet: Ergo alterutrum patronum Hostem experitur, uterque *Neutrales* adversos habet; Anglos scilicet, Suecos, Danos, Batavos, Principes Germaniæ, Italiæque, ut de Turca, quia Orbis Christiani pars non est, nihil dicam. Alterutro igitur Rege sumto, Polonia hostes sibi, Regi suo amicos nimios emet, quorum nescio, utrum sit periculosius. Nam ut hostes Gentis, *securitati*, ita Amici Regis, *libertati*, quarum duarum conjugio scopus Poloniæ constat, *Prop. 3.* extremam perniciem intentant. At in *Neoburgicum* magno Christianorum consensu itur. Neutrales, quos nominavi, omnes in hunc non obscurè inclinant; Duæ verò factiones illæ, quemadmodũ non amant,

amant, ita nec oderunt; Adverſario igitur utraq; prælatum optat, admirabili fatorum & Poloniæ & Neoburgico faventium concurſu; Neoburgico, dum â cunctis Juvatur; Poloniæ dum ille juvantium nulli obſtringitur; idque evidentiſſimè *demonſtrari* ſic poteſt:

Quem omnes juvant, is omnibus æquè obſtringitur.

Qui omnibus æquè obſtringitur, is alteri contra alterum non obſtringitur.

Jam aliquid in alterum conferre eſt contra alterum.

Nam Principes creſcere alterius potentiam nolunt.

Ergo ad aliquid in aliquem eorum conferendum non obſtringitur.

Ergo *quem omnes juvant, is nulli obſtringitur.*

Neque enim poſsibile eſt, ut in omnes æqualiter ſe diſpertiat, ut omnibus ſatisfaciat, quin ſe ipſum exhauriat. Si ut in eptè putant, Brandenburgico Boruſſiam

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 93, [148] - 140
PUBLIC DOMAIN

siam, Suecis Samogitiam, Cæsari Cracoviam tradet, quid sibi retinebit, quid Gallis, quid Polonis respondebit? Plebeia hæc somnia sunt.

Item: Neoburgicum fortè non tam amore, quàm metu tertii juvant.

Pro beneficiis non amore nostri, sed sua causa ab alio collatis, non obstringimur *per Prop. 47.*

Ergo Neoburgicus commendatoribus rerum suarum satagentibus ultra externa & forensia officia non obstringitur.

Cæterum si oblato eorum favore non uteretur, saltem ad alteram factionem, aut utramq; frangendam, non modestus, sed stultus esset: Præsertim cum Polonia utriusq; factionis hominibus plena sit, & ars contraria arte eludi debeat. At, inquis, Gallus Condæum reverâ optat, Austriacus Lotharingum, quomodo ergo dici potest, orbem Christianum Neoburgico favere? Ego verò hoc in argumẽtum potius commendandi

dandi Neoburgici trahendum cenſeo, idque hâc demonſtratione convinco.

In ſuffragiis æſtimandis illa pro nullis habenda ſunt, quæ manifeſtè examore aut utilitate propria proficiſcuntur.

Demtis his Gallo Condæi nominandi, Auſtriacis Lotharingi incruſtandi poteſtas auferetur.

Si ſuus cuiq; in quo nominando manifeſtè ſuſpectus eſt, dematur, Neoburgicum omnes nominabunt.

Ergo ſuffragii eorum non pro ſuo, ſed pro Neoburgico ratio habenda eſt.

Ergo in Neoburgicum Orbis Chriſtianus conſentit.

Ut taceam â nullo etiam apertè niſi Neoburgicum laudari, quod aliter ſcilicet honeſtè facere non poſſit, idque obtinuiſſe Neoburgico magna victoriæ pars, magnum virtutis teſtimonium eſt.

PROP.

PROP. XLVIII.

„ Eligendus ne esto, qui Po-
„ lonos LÆSERIT.

Qui semel, (multo magis qui sæpè, qui graviter) læsit; is animum lædendi habuit;

Mutasse non præsumitur.

Quod malum præsumitur, periculosum est.

Benefaciendo potentia augetur.

Periculosum auctâ potentiâ fit periculosius.

Maximè autem maximô beneficio, Regna.

Ergo *qui læsit* (scilicet nisi animum mutasse probetur) *eligendus non est.*

Idem aliter sub alia limitatione.

Qui *læsit*, opinionem potentiæ nostræ imminuit.

Opinio potentiæ est *honor.*

Honorem imminui nec reſtitui *turpe.*

Inter modos reſtituendi honoris *vindictæ deprecatio eſt.*

Vindictæ deprecationem à lædente faciendam non curat læſus, qui ejus promovendæ occaſionem ſciens omittit.

Occaſio promovendi eſt conferre beneficium lædenti; ſub conditione deprecandi.

Hanc omittit læſus, ſi *purè* beneficium confert.

Beneficium, & quidem maximum, Regnum eſt.

Omittere occaſionem recuperandi honoris turpiſsimum, & ab omni generoſitate alienum eſt.

Ergo qui læſit nec deprecatus eſt pœnam; eum eligere turpe eſt.

Omne turpe periculoſum eſt *per Prop. 14.*

Ergo

Ergo qui læſit nec pœnitentiæ ſigna dedit, eligendus non eſt.

COROLLARIUM.

„Eominus eligendus eſt qui
„ læſit, quando eodem
„ genere LÆSIT.

Turpe eſt, ſi quis honoris reſtitutionem ſciens omittat, *per proximè demonſtrata.*

Ergo tanto major turpitudo eſt, quanto certius eſt ſcientem fuiſſe.

Id verò tanto certius, quanto certius tempore conferendi beneficii; prioris læſionis recordatum.

Recordationis autem cauſa: ſimilitudo.

Tanto facilius ergo recordatus, & perconſequens turpior eſt, quanto ſimilius eſt beneficium hoc priori læſioni.

Ergo eo minus eligendus qui læsit, quando in eodem genere læsit.

Hæc propositio cum suo Corollário manifestè *Condæo & Mosco* adversa est. Uterque læsit, uterque in hoc ipso genere læsit, in quo beneficium flagitat, nempe in negotio Electionis. Condæus quantis turbis suam ambitionem nobilitaverit, multis etiam hominibus orbitates, minæ, disfidia, proscriptiones, confœderationes, conjugia, moneta, aula, senatus, Tribunalia campique loquuntur. Infelicem illam & libertati ominosam de Successore Regis designando quæstionem, ejus factio excitavit, Gallicis mulieribus regnum implevit, lenociniis grassata est, vacantia munia in gregales contulit, integerrimos viros corruptelis aggressa est, pertinaces & frangi nescios quæsito Majestatis crimine perculit, disfidia in regno aluit, tumultum militarem anxiè quæsivit, necessitate quâdam obstringere regnum voluit ad mutuandam â Gallis pecuniam, ad induendum se illis vinculis, unde pedem referre non pos-

set.

set. Cùm res non procederet, corrupta sine necessitate moneta est, ut vel sic ad aurifluos illos fontes, sitientes recurrere, cogeremur. Sed pertinax in libertatem Polonia, maluit sub tot malis gemere, quàm levamentum petere, à tam inimicâ manu. Horum ego non ipsum prorsus Principem Condæum insimulo, sed paucos quosdam ambitiosulos Gallos Gallasque, qui domi fames melici jàm spe Palatinatus & Castellanias devorârant. *Moscus* ille, qui nunc nostrum Sceptrum suo filio indebitum flagitat, suum Sceptrum Regis nostri filio debitum, perfidè ac perjurè abstulit. Vladislaus noster electus erat, Magnus Moscoviæ Dux, Sacramento se illi obligaverânt Mosci, paulum solennitati, nihil juri deerat. Cùm subitò unius seditiosi vocibus accensi in diversa, velut lymphati feruntur. Nihil illius scelere felicius, nihil nostrâ turpitudine infamius; si Regum nostrorum prædoni Regnum nostrum damus. Nihil de interne cinis illis odiis, nihil de barbarâ feritate dicam, quâ Moscus in bello

contra nos gerendo Turcam, nuper facilè post se reliquit.

PROP. XLIX.

„ Eligendus COGNITÆ
„ ante ambitionis materiam
„ Polonis BENEVOLEN-
„ TIÆ esto.

Qui benevolentiam tum demum declarat, cùm beneficium, & quidem maximum flagitat, quale Regnum est; is necessario tempore declarat.

Quod quis necessario tempore facit, necesitate facere intelligitur, nisi alia causa subesse probetur, præsertim si dudum potuerit.

Benevolentia necessaria nulla est.

Ergo ea declaratio ficta intelligitur.

Cujus benevolentia erga gentem ficta est, is Rex eligendus non est.

Ergo eligendus COGNITÆ ante ambitionis

bitionis materiam BENEVOLEN-TIÆ *esto.*

Non satis est Candidatum nos non læsisse, decet etiam amicum fuisse. Ut igitur præcedens propositio contra *Condæum* & *Moscum*, ita præsens est contra *Lotharingum*. Is enim cùm à tot annis vacaturam Poloniam præviderit, cùm in vicinia fuerit, cùm nullo propè negotio Polonis innotescere potuerit, à nonnullis vel impudentiæ vel superbiæ accusatur, quòd vel spes suas non prospexerit, quas nunc tam calidè prosequitur, vel electores contemserit, quos nunc tam effusè prensat. Contra Neoburgicus, qui se non ingesit, sed vocatus est; (quem ipsa Respublica, contractæ necessitudinis memor, nunciato nuper per Primatis literas interregno, ad communicanda consilia amicè invitavit, quod erga Lotharingum aliosque Territorio proprio carentes, aliorum subditos vel ministros, vix factum puto) ubiq; & modesti & prudentis laudem implevit. Inde usq; à viginti septem

annis præsentium consiliorum fundamenta jecit, præsens Reges, Proceres, nobiles sibi conciliavit, Regum filiæ sororique, conjugi suæ priori, tenerrimum amorem, & præstitit, & elicuit, de cujus morte ita *Adolphus Brachelius*, recens compertæ fidei historicus, Lib. I. „ad annum 1652. Rex victoriâ potitus „de Cosaccis trium phabundus Warsa„viam revertitur, ubi eum luctus ex„cepit domesticus, intellectâ morte so„roris suæ, Annæ Catharinæ Constan„tiæ, hæc enim cum initiis motuum „Brandenburgicorũ Dusseldorpio Co„loniam quietis causa concesit, iis „compositis, dum advenienti Principi „marito suo læta mox occurrit, & præ„hensum manu deducit adaulam, re„pentino animi deliquio præ nimia hi„laritate correpta inter manus mariti „Principis ex animis in terram collabi„tur, & postridie magno Principis luctu „omniumque aulicorum, quibus ob „mansuetudinem & clementiam exi„miè cara exstitit, ex hac vita discesit, „die nona mensis Octobris Anno 1652.

Princeps

„Princeps omnibus regiis virtutibus „cumulatisſima. *Hæc Brahelius.* Ex eo tempore Neoburgicus nunquam Poloniæ amorem curamque exanimò dimiſit, Plenam Polonis aulam habuit, omni in eos officiorum genere benevolentiam effudit. Neque tamen Electionis cauſa ſuperſtite & ſibi & regno Rege, quicquam movit; reverentia legum morumq; Polonicorum, quibus inviſos hos tractatus ſciebat. Donec ad extremum Condæana factio malè diſſimulata tandem erupit; tum verò in tanto Chriſtianorum Principum ad reſtinguendum Poloniæ cunctis formidabile incendium concurſu, ſibi quoque quieſcendum amplius & velut alteram patriam illaudabili torpore deſerendam minimè putavit. Ergo junctis ſibi Suecis & Brandeburgicis, quorum intererat Poloniæ libertatem conſervari, ivit obviam ambitioni, electionem non tam ſibi faventem, quàm genti liberam quæſivit, libertatem non violavit, ſed vindicavit; obſtaculis liberæ electionis remotis, quæ Condæana

factio posuerat, reliqua fatis & voluntati Polonorum permisimus; cæterum non desperans, tam grandi beneficio sibi animos initiari posse. Et certè favit DEUS conatibus & conanti & genti salutaribus. Nam Regi Christianissimo aliqui fraudum mangones crumenimulgæ persuaserant, omnia in Polonia in proclivi, mirũm gentis insumendum è Galliâ Regem consensum esse, tantum efficiendis cæptis pecuniolâ aliquâ opus, ne opera interrupta, minæq; murorum ingentes penderent; quibus tam perditis vocibus, & maximum Regem gentis gloriæ ut decet, faventem, & Generosum Principis Condæi animum impulerunt, ut tantâre parcendum aliquot millionibus non putarent, quas isti procuratores in rem suam reddendarum rationum immunes, in succum & sanguinem converterunt, de cætero ne nihil egisse viderentur, & poloniam extremè turbarunt, & gravem Gallico nomini notam inusserunt. Hæc verò Princeps Neoburgicus, cui exactè perspecta erant, Regi Christianissimo detexit,

texit, effecitque apud Sapientissimum Heroem, ut aversatus tam calida, tam funesta consilia; fœdere etiam inito profiteretur, neq; sibi hæc grata fuisse, neque amplius suo nomine agi passurum; & regno ipso digniorem Neoburgico neminem putare; & omnem opem in posterum ad ejus commendationem convertere velle. Ita Principis Neoburgici beneficio Polonia tam gravi metu liberata est, qui à Rege Christianissimo falsis narratis occupato imminebant; & factio Gallicana velut succisis nervis flavescere cæpit. Præsertim postquam Cæsar, Suecus, Brandenburgicus, initis & ipsi cum Neoburgico fæderibus ad vindicandam Polonicæ Electionis libertatem unitas vires contulerunt. Ex quibus patet, ingratissimos mortalium esse, qui versâ in invidiam beneficii laude Neoburgicum illegitimi ambitûs accusant, quasi externorum fœderibus ad coronam contendat, cùm tamen alia omnia evidenti demonstratione convinci possint. Ecce enim.

Polo-

Polonia factione Gallicanâ plena est.
Eadem eam ipsa per se excutere frustra tentavit.
Testes tot Nobilitatis, tot Lubomirsky irriti labores.
Excutienda tamen est.
Ergo externâ ope excutienda est.
Hoc qui præstat genti beneficium præstat.
Ergo ~~Neoburgicus~~ eâ re non odium, sed amorem meretur.

Item:

Si interno motu excutienda est, intestino bello excutienda est.
Intestinum bellum Poloniæ extremè periculosum super aliàs gentes, *Prop. 12.*
Ergo externâ ope tutius id præstabitur.

Item:

Factio aut bello aut consilio excutienda est.
Satius autem consilio quàm bello.

Si

Si consilio, ergo contrariâ factione. Ergo ~~Neoburgicus~~ qui, si factionem factioni opponit factiosus culpandusq́, non est.

Quemadmodum qui vim vi repellit, vim feciſſe non videtur, qui corruptorem corrumpit, qui conductum ſicarium ad omittendum aſſaſſinatum reconducit, corruptor non eſt; actio de dolo doli exceptione perimitur.

Qui Neoburgicum ob fœdera cum exteris culpant, quaſi in Platonis Republica ſententiam dicunt, antiquum, & nulla exterorum contagione afflatum, ſibi gentis ſtatum imaginantur; qui tum Candidatum agebat, nihil aliud habebat, quod ageret, quam ut Polonis placeret. Nunc occupatis variè animis ne placere quidem Polonis poteſt, niſi & extraneis placeat, vel ſaltem non ſit exoſus. Multi non ut proſint, ſed ne noceant, colendi ſunt. Nullus hic nimiæ neceſſitudinis, nullus conſpirationis metus; tantus utrinque amor non eſt, ut huc usque proceſſurus ſit. Breviter. Is Po-

Is Poloniæ ſtatus eſt, ut in exterorum poteſtate ſit Candidatum impedire.

Si poſſunt & volunt, faciunt.

Ergo neceſſarium Candidato eſt hoc rerum ſtatu efficere, ut vel *non poſſint* vel *non velint*.

Ut non velint, nonniſi *fœdere cum ipſis, inito* efficere poteſt.

Ut non poſſint, ſi ipſe ſatis potens non eſt, efficiet, non niſi *fœdere cum aliis* inito.

Hæc ergo fœdera Candidato neceſſaria ſunt.

Quod neceſſarium eſt, juſtum eſt.

Neoburgicus igitur eâ in re, quod juſtum eſt fecit, quando cum Gallis & Auſtriacis ne noceant, vel ne apertè noceant; cum Svecis & Brandeburgicis, ut nocituro obſiſtant, fœdus percuſſit.

Ex his patet magnitudo beneficii à Neoburgico in Polonos collati, cujus effectum-

ctum prudentes prævident, plebs confectis demum rebus laudabit. At verò, inquies, beneficium ſuæ utilitatis cauſa contulit, Ergo gratitudo nulla debetur. Sed falſum hoc: Eo ille in Poloniam, alteram Patriam, à tot annis affectu eſt, ut etiam deſperatis rebus ſuis, oppreſſionem ejus laturus non ſit. Amicus autem dum amici res curat, internaſcens quoque commodum, alteri non ſolum non damnoſum, ſed & profuturum, impedire non tenetur, imo provehere debet. Et hoc ipſum *amicitiæ* eſt, aptare ſibi, quod alteri bonum ſit. Hoc ipſum *Sapientiæ*: deligere bonum ſibi, quod ſimul juſtum ſeu publicè bonum ſit. Sanè, ſi accuratius introſpicias, magis ille ſe Poloniæ quam Poloniam ſibi optat; ipſe Poloniæ, quàm Polonia ipſi proderit. Certè generoſitate magis, & familiæ decore, quàm libidine, avaritiâ, ambitione ducitur. Nam cum ditiones florentes teneat, cùm eâ ætate, quâ alii miſſionem impetrare incipiunt immenſum curarum agmen ſibi attrahat, quid eſt,

quo

quo illectus fingi posſit, niſi amore & Gentis Polonicæ & familiæ ſuæ? Has unione felices optat, ſibi non addit voluptatem, ſed aufert tranquillitatem, maximum hujus vitæ bonum.

PROPOS. L.

„ Eligendus nulli Reipublicæ HOSTIS eſto.

Qui hoſtis eſt, odit.

Qui *odit*, bona alterius odit.

Ut enim *amare* eſt delectari, ita *odiſſe*, eſt dolere alterius bonis:

Inter bona Regis noſtri & Polonia erit.

Ergo hoſtis regis noſtri & Poloniam odio habebit.

At Poloniam aliis Rebus publicis odio eſſe, malum.

Tanto magis, quanto hoſtis potentior & nos debiliores.

Ergo eligendus nulli Reipublicæ hoſtis eſto, ne ſcilicet & nobis belli cauſa ſit.

Idem

Idem aliter:

Si eligendus alicui hostis erit, in eum opprimendum, aut repellendum vires quas poterit, convertet.

Ergo & nostras si poterit.

Poterit autem multa talia nobis non sentientibus Rex præstare.

Quemadmodum Sigismundus III. octo milliaequitum levioris armaturæ, quasi ab Humanajo Hungariæ Procere conducta Duce Joanne Rogawski subsidio misit Ferdinando sub Bohemis Hungarisque laboranti; quibus auxiliis Bethlemi Gaboris profligatæ copiæ, Vienna; obsidione liberata; sed nobis, stimulante Turcas in ultionem Bethleno, bellum Chotimense conflatum est. Notum est quàm Sueci personales â Rege profectas, quas jactabant, injurias, detortos titulos, immissos in Pomeraniam, Prussiam, Livoniamque Cæsareanos, retentam prætensionem, in invidiam Reipublicæ quasi conniventis, traxerint.

Vires porrò nostræ alio conversæ minnun-

minuuntur absq; damni compensatione.

Quid enim fructûs nobis ex inimicitiis Regis, nisi pericula?

Id verò damnosum.

Ergo & Regem hostili in aliquos per se ante initum regnum, & ita obseparatas à Polonia rationes, animo esse, damnosum.

Ergo *eligendus NULLI Reipublicæ HOSTIS esto.*

COROLLARIUM I.

„ Ergo eligendus nec ille e-
„ sto, qui facilè alicujus Rei-
„ publicæ HOSTIS FU-
„ TURUS videtur.

Nam qui facilè hostis futurus videtur, eum valde possibile est, hostem fore.

Quidquid valde possibile est, illud est *probabile.*

Porro

Porro hoſtem fore, malum eſt *per Prop. 50. hîc.*

Probabilitas mali *periculoſa* eſt.

Ergo quemadmodum is qui jam certò eſt, damnoſus, ita qui facilè futurus eſt, periculoſus eſt.

Ergo eligendus hoſtis alicujus Reipublicæ facilè futurus ne eſto.

COROLL. II.

„ Ergo eligendus nec MULTIS NON GRATUS
„ eſto.
„

Hoſtem, & parum gratum eſſe, differunt, ut majus à minore.

Minus repetitum, majori ſimplici æquatur.

Ergo idem eſt, hoſtem uni & ingratum multis eſſe.

Jam eligendus hoſtis uni eſſe non debet *per Prop. 50.*

Ergo

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 93, [169] - 163
PUBLIC DOMAIN

Ergo eligendus NEC MULTIS INGRATUS esto.

Hæc propositio cum suis Corollariis est contra *Moscum, Condæum, & Lotharingum.* Neoburgicum non tangit. Moscus hostes: Svecos, Turcas, Tartaros habet. Idem & nobis, Mosco junctis, hostes erunt; idq; Tartari jam nunc denuntiant. *Condæus*, aut quivis alius ex Gallia, Candidatus certos hostes habet omnes, qui se Monarchiæ Gallicæ opponunt, Austriacos, Hispanos, Anglos, Svecos, Danosque, Brandenburgicum, & omnino Principes Germaniæ Italiæque, Triplumq; illud jam ter triplicatum Fœdus, quod profectò non tam Belgicis nunc Rebus solum, etsi hoc prætexat, quàm Polonicis intentum est. Nam cum ejus scopus sit Gallicam potentiam moderari; & verò majoris ad stabiliendam Monarchiam momenti Poloniæ, quam Belgii Hispanici accessio futura sit, plus etiam, si prudentes fœderis directores sunt, de quo nemo sanus dubitat, Polonis quàm Belgicis rebus

rebus invigilabitur: ſtimulante fœderis præcipuos autores, Batavos, privatâ ratione, ut commercia maris Baltici libera & horreum Polonicum apertum ſibi ſervetur. Quod ſi Gallus in poteſtatem redegerit, quem nunc longè ſupra Hiſpanum metuunt, periclitari ſeſe vident non jam de fama, ſed fame. *Lotharingus* certos & capitales hoſtes habet Gallos & Galliciſſantes. Nam Patruo mortuo provinciam ſibi nec injuriâ aſſeret. Sed hanc Gallus ita tenet, ut uno nutu totam inundare poſſit. Nam arma Duci abſtulit, aditus occupavit, & ſibi ſtipulatus eſt, propugnacula diruit: Ergo Lotharingus aut deſerere provinciam tantam debebit, aut bellum in Gallum geret. Deſerere avitas ditiones & ſummè damnoſum, & extremè deforme. Bellum non niſi viribus noſtris geret, nam per ſe nihil habet, Porrò cùm provincia tam remota non niſi præſidiis perpetuis contra hoſtem tam vicinum tamq; potentem defendi poſſit: quantis in eam ſumptibus opus futurum ſit, quis non

videt

videt? Hæc omnis moles in nos redundabit. Sed nec extra periculum domi erimus. Quomodo inquies, quis Gallum tam remotum metuat? Sed verò cogitandum est, si Lotharingus Austriacus Cliens, nec dubius gener, Poloniâ potiatur, continuò odium & Monarchiæ universalis metum rursus velut jactantis fortunæ pilâ à Gallis in Austriacos, tam grandi accessione firmatos translatum iri. Nam cæterorum omnium generalis illa regula est: *neq; Borbonicæ, neq; Austriacæ Domus nimiam potentiam ferre.* Austriaca verò domus ad eò debilitata non est, quàm imperiti putant. Languet maximè ob ætatem Hispani, ob orbitatem Cæsaris, quibus omnibus tempus medebitur. Modò, ut speramus Cæsar habeat:

Et Natos Natorum, & qui nascentur ab istis,

Et Hispanus:

Rursus in antiquam virtutem, animosq; viriles adolescat. Portugalliæ is status est, ut quam primùm sub jugum Hispanorum redire posse videatur.

Præter

Præterea ſparſæ in multos Archiduces provinciæ nunc in uno Cæſare omnes unitæ ſunt, magno potentiæ incremento. Bello Germanico plus partum quàm amiſſum eſt, hæreditariâ Bohemiâ factâ. Germani nupera electione Imperatoris, debiliſſimo Auſtriacorum ſtatu, tentatis omnibus, documentum dederunt, ne ſi velint quidem, ab Auſtriaca domo abiri poſſe. Hoc imperii arcano evulgato, jam nihil eſt, quod Auſtriaci in Germania vereantur. Ergo ſi Polonia accedat, ſi calidus Juventâ Princeps qualis Lotharingus eſt, conſiliorum executor conſtituatur, Hiſpani ſepoſitas aliquantiſper Monarchiæ ſpes reſumere audebunt. Et verò Svecis & Brandenburgicis, tum Moſcis etiam & ipſis Turcis intolerabilior adhuc Auſtriacus Cliens gallicano habetur, majore potentiæ metu, quæ propinqua eſt. Prudenter Thuanus obſervat Theodoro Moſcorum Principi & Erneſto Archiduci nihil magis nocuiſſe, quàm quod Turcæ ſuſpectiſſimi eſſent, & ab eo ſummo conatu diſſuaderen-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 93, [173] - 167
PUBLIC DOMAIN

derentur, cujus, ut Thuanus addit, in eligendo Rege, prudentiores Poloni rationem sibi habendam existimarint. Henricum verò Valesium juvit, quòd eo tempore Rex Galliæ Turcam fœderatum haberet. Nunc verò illud certum est æquè & Gallum & Moscum & Austriacum Turcæ ingratum fore. Sed Turcas minus morabimur. Illud persequendum est, Poloniâ ad Lotharingum delata, fore ut Austriacorum opes reviviscant. Jam ergo odia in Gallum cessabunt, nec dubitabunt Sveci ad ejus stipendia redire. Quare cum primum Regem Lotharingum Gallo apertè hostem sumemus, ille ut Lotharingiam sibi servet, ut nostras vires distineat vel exhauriat, facilè nobis Svecos iterum hostes immittet. Hos ergo fructus sive Austriaci sive Gallicani Clientis habebimus. *Neoburgicus* nulli ingratus est, quem omnes commendant, multo minus ergo hostis, qui nullum læsit.

PROP.

PROPOS. LI.

„ Eligendus POTENS
„ ne esto.

Præcedentes propositiones cavent ne velit nobis aliisve nocere, hæc ne possit.

Quo quis potentior absolutè, hoc potentior ad nocendum.

Hoc ergo plura ad nocendum requisita habet.

Hoc ergo probabilius, nociturum esse.

Probabilitas nocendi *periculosa* est.

Eligendus periculosus ne esto.

Ergo eligendus potens ne esto.

Potentia instar ancipitis gladii est pro voluntate utentis:

Idem aliter:

Quo quis potentior absolutè, hoc potentior ad infringendam libertatem nostram.

Hoc regibus solet bonum videri.

Neque enim quisquam verè tam sanctus

integerq; est, ut potentiæ cupiditatem prorsus exuerit. *Fallit enim vitium specie virtutis, & umbrâ.* Boni Viri, qui potentiam quærunt, ita cogitare solent: Cum primum Rempublicam in potestate habituri sint, omnibus vitiis tollendis, aureo seculo reducendo, emendandis rebus humanis operam se daturos.

Quanto quis magis potest, tanto res est *possibilior.*

Quanto res bona est possibilior, tanto est melior,

Quo res melior, tanto plus appetitur.

Ergo quo quis potentior, hoc magis augmentum potentiæ & nostræ libertatis oppressionem appetet.

Et quidem, quia potens ac volet; facile præstabit.

Id verò contra scopum Reipublicæ est *Prop. 3.*

Ergo Eligendus POTENS ne esto.

Idem

Idem aliter:

Potens *metuendus* est, & contra: omnis metuendus, potens est.

Nam potens nocere potest; Ergo facilè nobis malus futurus est. Futuri mali opinio est *metus*.

Metus est aut conditionalis aut absolutus.

Quemadmodum aliud est *Volo*, aliud *Vellem*.

Metus potentis conditionalis est tum demum, si eum, quem metuimus, certum est nocere non velle.

Id est metueremus, nisi sciremus eum nocere nolle.

Quem certum est nocere posse, sed nolle, eum amamus.

Nam si certum hoc, fixa ejus erga nos benevolentia est; Ergo verus amicus noster; amicitia omnis vera mutua est:

Sin hoc certum non est, cupimus effectum, ne noceat.

Cumq; efficere non possimus, ne velit, per *hypothesin*; cupiemus efficere ne possit.

Ergo potentiam ejus imminutam cupiemus.

Ergo bona ejus nobis molesta erunt.

Cujus bona nobis molesta sunt, eum *odimus*.

Per *odii* definitionem.

Ergo quem metuimus, nisi amemus, odimus.

Hæc limitatio necessariò addenda est. Alioqui sequeretur, DEUM simul timeri, & amari non posse: Sic ergo intelligendum; in eum quem metuimus, medio inter *amorem* & *odium* affectu ferri nos non posse, necessario vel amandum vel & odio prosequendum.

Ergo potens Candidatus cæteris Rebus publicis, nisi quibus amatur, odio habebitur.

Jam odio eum haberi aliis, periculosum *per Prop.* 50.

Imo

Imo & amari *per Prop. 52.*
Ergo eligendus potens ne esto.

CORALL. I.

„ Eligendus per se Polonis
„ POTENTIOR, in sum-
„ mo gradu periculo-
„ sus est.
„

Si Polonis *potentior* est, pars potentiæ ejus nostræ toti æqualis est.
Per definitionem *Majoris & Minoris apud Thomam Hobbes in Elementis de corpore.*
In omni conflictu potentia æqualis æqualem adversam perimit.
Ergo in ejus conflictu nobis cum, perditâ nostrâ totâ; pars potentiæ ejus residua erit.
Residua pars potentiæ ejus quantulâ cunq;, nostrâ *Nullâ* major est.
Ergo ad prohibendam nostræ *resurrectionem* sufficit.
Scilicet si nihil extrinsecus, accedat; id vero

vero quia incertum est, in *demonstrando* non attenditur. Nam qui de horologii motu aliquid demonstrat, ipsam internam Horologii constructionem considerat, non externos casus, qui evenire præter opinionem, & confringere rotas possunt. Et verò hoc ipsum auget periculum, contra certa pericula non nisi incertam spem habere.

Ergo qui potentior est, ad *æternam* nostram *mortem civilem*, seu tum ad mortem potentiæ nostræ, tum ad prohibendam ejus revivificationem, sufficit.

Æterna mors summum malum est, civilis civile.

Ergo qui potentior Republicâ est, ad summum ejus malum seu mortem civilem sufficit.

Ergo potentissimus est ad nocendum.

Qui potentissimus ad nocendum est, in summo gradu *periculosus* est.

Nam si potens est periculosus *per prop-*

hîc

hîc, potentiſſimus erit periculoſiſſimus. *Ergo Eligendus, per ſe Polonis* POTENTIOR, *in ſummo gradu periculoſus eſt.*

Hæc propoſitio cum Corollario directè in *Moſcum* incurrit. Hunc manifeſtum eſt parem jam olim nobis fuiſſe. Nam variâ fortunâ cum eo bellatum eſt; Smolenskium pomum Eridos fuit, & fortunæ pila hinc inde jactata. Nunc debilitatis nobis, *per prop. 10.* ipſe integer, haud dubiè ſuperior eſt. Hoc amplius, quod nobis deceſſit, id magnam partem ipſi acceſſit, ergo duplicato augmento ſuperbit, tum imminutione noſtrâ, tum acceſſione ſuâ. Ergo nunc nobis potentior eſt; Accedit, quòd peritia militaris in eo quotidie augetur, transfugis fœdâ mercede ad Barbaros cuncta deferentibus. Tartaros quoque & rebelles Coſaccos ita perculit, ut à Turcis ipſis incipiat formidari. Hunc, ſi in Regnum admittimus, quam extrinſecus ægrè ſuſtinuimus, jam actum eſt de Republica, de Li-

bertate, de ſecuritate; Gladium ipſi præbebimus, quo nos jugulet, prætextum Juris dabimus, ne ſine colore tyrannus ſit. Nam ſi Rex erit, quis dubitat, multos noſtrorum ei addictos fore? reſiſtentes quæſitâ criminum materiâ facile pellet. Omnis nunc ſpes in armis erit, ſed quæ longè difficilius, ſeriusq; expedientur, hoſte in medio regno hærente, & patre ejus vel fratre grandi cum exercitu lateribus imminente. Quantò ergo ſatius malo cavemus, & nunc dum poſſumus, eum arcemus, qui receptus ſine exitiabili clade coerceri non poteſt. Scimus quàm difficulter Moſci partis ſemel rebus excuti poſſint; nulla gens obſidionum tolerantior, nulla inediæ, ſitis, frigoris patientior. Hoc rerum ſtatu an cæteros Chriſtianos manibus intra ſinum compreſſis quieturos putamus? non videbunt ſcilicet quantum ex Eccleſia, ex Republica petatur? duplicari Turcam, naſci potentiam opprimendæ Europæ parem, Germaniam à Polonico latere ſatis patentem, Barbaris inviſcera Europæ

pæviam apertam esse. Ergo ad restinguendum incendium omnes concurrent, in eos vel ut laxatis habenis vicinæ gentes effundentur, in planitie nostra, inter Turcas, Moschos, Germanos de Imperio, imò de salute, certabitur; impedimenta pugnantium erimus, præda victorum, sepulchrum vicinorũ omnium; contemti Barbaris, quibus nos ultrò submisimus; ab ominabiles Christianis, quos stultitia nostra in extrema pericula conjecimus: Ita libertas, securitas, affluentia, honor, salusque & præsens & æterna interibunt. Cæterum indirectè hûc propositio etiam illos ferit, qui aliorum ope potentes sunt, quales est *Lotharingus* Austriacâ, *Condæus* Gallicâ, *Neoburgicus* nullâ. Sed hos ad *secuturam* mox *propositionem* differemus.

COROLLAR. II.

„DONA quæ eligendus Rei-

„ publicæ pollicetur, tanto
„ minora censenda sunt,
„ quanto ille poten-
„ tior.

Quando potentior est Candidatus tanto (aut potius multo) magis potentior Rex erit.

Tanto plus igitur in Regno poterit.

Pro rata autem potentiæ in Regno, ejus erunt fructus Regni.

Ergo & dona Regno data.

Ergo quanto potentior, tanto magis donando Reipublicæ, donabit sibi ipsi.

Donare autem sibi ipsi est non dare, sed retinere.

Ergo *quanto potentior eligendus, tanto minus donare videbitur.*

Scilicet quanto potentior erit, tanto minus poterunt ab eo rationes exigi, Non est igitur cur sive *Moschicis* sive *Condæanis* tot millionum promissis multum movea-

moveamur. Quicquid Reipublicæ pecuniarum afferet Candidatus, ejus diſpenſator Rex erit. Dabit autem iis quos ſibi obligare conſtituit, ita fructus ad ipſum, nudum nomen ad Rempublicam perveniet, paucisſimi participes erunt, exiguo & inſenſibili neceſſitatis publicæ levamento; nam Summates illi in quos talia diſtribuentur, rurſus in pompam, in luxum, in externas merces prodigent. Adde ſupra *Prop. 2. Corollar.*

PROPOS. LII.

„ Eligendus non multis nec
„ potentibus amicus eſto.

Supra demonſtravimus *hoſtem* alliis eſſe non debere *Prop. 50.* nunc oſtendemus, nec amicum tutò fore. Quando autem in his & ſimilibus propoſitionibus dicimus, Eligendum nulli, multis, omnibus, potentibus &c. hoſtem, amicum, obſtrictum eſſe debere, vel non debere; non privatos ſed Principes vel Reſpu-

Reſpublicas intelligimus. Eæ enim ſolæ *perſonæ civiles* habendæ ſunt, quæ libertatem civilem habent, ſeu ſubditi alicujus non ſunt. *Servus* perſonam non habet in *jure privato*, ita nec *Subditus* in *publico*.

Multi, etiam impotentes, ſimul ſumti, *uni* potenti æquales ſunt.

Ergo perinde eſt, multis, & uni potenti amicum eſſe.

Porro, qui potenti amicus eſt, hunc potens amat.

Quem *amat*, ejus bonis delectatur.

Ergo ejus bona promovet.

Ergo potentem facere conatur.

Et quia ipſe potens eſt, quod conatur præſtabit.

At verò Rex noſter aliunde quàm ex Reipublicæ voluntate potens eſſe non debet, *per Prop. 51.*

Ergo eligendus nec multis, nec potentibus amicus eſto.

Idem aliter ex *red-amatione*.

Con-

Contra: qui multis & potentibus amicus est, eos amat.

Ergo eorum bonis delectatur.

Bona Principum & Rerum publicarum adversa fronte concurrere solent.

Nam amicitia inter Respublicas nulla, inter Principes rara est. *Prop. 41. 42.*

Et uni alterius incrementa periculosa sunt.

Maximè si jam tum potens est.

Jam eligendus Polonis amicus esse debet, *per Prop. 49.*

Ergo Eligendus aliis Rebus publicis, nedum multis & Potentibus, amicus esse non debet.

Etiam Aristoteles ostendit πολυφιλίαν raram esse, & Cicero, inquit, vix bina secula bina amicorum paria tulisse. Multò minus autem Regem præter coronam suam aliam velut pellicem, alere, amorem fructumq; aliorsum spargere, & à Republica separatas rationes habere

habere fas est. Qui Conjugi aliam super inducit, jam alteram nimium, alteram plus satis amat; iniqua hîc æqualitas est, quicqnid enim Conjugi detrahitur, pro pellice nimium est. Hæc propositio autem *Moſco*, *Condæo* & *Lotharingo* adversa est. *Neoburgicum* non tangit, *Moſcus* potentem amicum habet Patrem suum, Gentem suam, ditionem suam. Hanc certè plus Poloniâ amabit, & amantem habebit, quia & familiarius novit, & sanguine, linguâ, moribus, religione contingit, & obsequentiorem, absolutèque sine conditione deditum habet. *Condæus* & ipse potentem amicum habet, *Monarchiam Gallicam*, cui ille omni nisu aderit, cum primum Poloniæ Rex erit. Nec mirum; cum spem successionis familia ejus non admodum ex intervallo habeat. Contrà Galli juvabunt ipsum, idoneum turbando distinendoque septentrioni, statuiq; Austriaco instrumentum. Nam Polonis Gallicissantibus, cogentur Sueci ingratiis suis triplum fœdus, si non animo, saltem auxilio req. deserere, & ad

sua

ſua tutanda reverti. Nec Cæſar tam validum in latere adverſarium habens, movere ſeſe, & Belgicis Provinciis ſub Gallo laborantibus ſuccurrere audebit. Lotharingus verò Auſtriacæ Domui potentisſimæ adhuc, nec dum à ſumma ſpe dejectæ (*vide prop. 52, in Scholiis*) actiſſimè illigatus eſt, niſi ingratiſſimus ſit, abire ab ejus amore non poteſt. Nam huic alimenta, educationem, famam, & hanc ipſam quoque Regni ſpem debet. Sed & teneriore aliquo nexu Auſtriacis conſtrictum conſtringendumq;, nec amici diſſimulant, & in parte gloriæ ponunt, Cæſaris Sororem pactam eſſe. Utcunque autem hæc omnia præteantur, intereſſe tamen ſuâ Cæſar putabit, ſi non aliâ, certè famæ & exiſtimationis propriâ causâ, alumno rem ex ſententia evenire, & ad gloriam pertinere rebitur, extorrem à Gallis factũ, receptum à ſe ſuſtentatumq; Principem, ſuo potisſimum auxilio ad tantas res enixum eſſe. Cæterum & graviſſimorum malorum Polonis cauſam fuiſſe. Sigiſmundum III, Hiſpanicis

Conſi-

Consiliis fascinatum, de opprimenda Poloniæ libertate cum Austriacis consilia agitâsse, literas ejus deprehensas, Regem ipsum penè culpam fassum, juvenilis errati veniam obtinuisse; Hispanos tamen exuere animo non potuisse: Hispanicæ classis spe recreatum confectam propè cum Suecis pacem rescidisse, atque ita per ipsum stetisse, quo minus diluvium illud Suecicum evitaretur, quod his demum temporibus insolito maris Baltici æstu Poloniam exitialiter inundavit. Jam auxilia Austriacis contra Gabrielem Betlenum à Sigismundo missa, arma Turcica provocasse, & Chotimense bellum conflâsse, quod etsi in speciem honorificum, & exitu lætum, irreparabile tamen damnum Polonis inflixit, retracto metu Turcarum, Vladislao, qui intimis Moscorum visceribus hærens, & non dubiâ spe imperio imminens, deserere coactus est nunquam redituram occasionem tanta terrarum spatia Reipublicæ adjiciendi, & infestas gentes, Christianos tamen in communem hostem Tur-

cam

cam & Tartarum, uniendi. Porro Auſtriacos adhuc Imperii nomine Pruſſiam & Livoniam ſibi aſſerere; nupero quodam Chirographo, ab aliquot Polonis, privato Conſilio, comitiis non coactis, tempore periculoſo, dato, ipſam Coronam vindicare; *Scepuſii* etiam Urbes Vladislao Jagelloni à Sigiſmundo Cæſare oppignoratas repoſcere. Horum omnium illi, quorum Princeps *Piaſecius*, in Auſtriacos culpam conjiciunt, acerbius juſto quidem, negari tamen non poteſt, omnem & Vicinum & potentem & potentiæ augendæ intentum, timendum eſſe. *Neoburgicus* verò amicum interiorem nullum habet præter ipſam Poloniam. Non Suecum, neq; enim hunc ipſe juvit, aut ille ipſum. Toto Belli Germanici tempore Imperatori (ita tamen ut Bello ſe non implicaret) ſeuti Principem Imperii decebat, cum Sereniſſimo Parente hæſit. Ad Suecorum Regem, in Polonia rerum potientem, Cognatum licet, minimè ſe applicuit. Nulli certè proteſtantium nimis charus eſt, quos domus ejus deſeruit, quibus

Con-

Conjugem ipſe ſubtraxit; Jam de amicitia ejus cum Cæſare Galloque dicere quid attinet? nemo Status publici peritus eundem ab utroque adverſariorum ex animo commendari poſſe credet. Ergo alteruter reapſe aliud agit, aut quod verius, uterque.

PROPOS. LIII.

„ Eligendus VICINUS
„ ne eſto.

Quo Vicinior, hoc brevior motus.

Quo brevior, hoc cæteris paribus minus per obſtacula refractus.

Cæteris paribus, inquam, nam alioqui fateor, motum breviorem in aqua magis quàm longiorem in aëre, refractum iri.

Quô irrefractior, hôc ſervantior impetûs primi.

Primus impetus motûs ſibi relicti, eſt potentiſſimus in ſuo genere.

Nam quod gravia deſcendendo majorem ſemper impetum ſumunt in ratione numerorum

merorum ab unitate deinceps imparium, id nova continuò causæ accessioni, sive attractioni effluviorum terrestrium, sive aëris impulsui tribuendũ est.

Ergo quanto quis vicinior, hôc potentior.

Quô potentior, hòc minus eligendus *per prop. 51.*

Ergo eligendus Vicinus ne esto.

Vicini hoc magis timendi Polonis, quò apertior undique Polonia est. Nam flumina sola parum tuta sunt; quàm facilè Tartaris Borysthenem transire, quàm facile Gustavus Apolphus Rhenum transmisit, Carolus V. in Albi vadum invenit, Zarneccius nuper Vistulam tranavit? Regio ea demum situ loci satis tuta est, quæ montosa est, montes verò Polonia Carpathios solos eâ solum parte habet, quâ Hungariæ obversa est. Sed nec munimenta habet Polonia, quibus transitus fluviorum defendantur, quanquam de Borysthene muniendo frustra aliquando cogitatum sit. Cæterum ex hac propositione se-

ne ſequitur *Corollarii* inſtar, *eum quoq; eligendum non eſſe, qui Vicinos amicos aut hoſtes habeat.* Perinde enim eſt ac ſi potentes amicos & hoſtes habeat, quod eſt contra *prop. 50. & 52.* Porrò hæc propoſitio *Moſcho* directè adverſa eſt. Is enim non ſolùm per ſe potens, ſed & vicinus eſt; vicinitas autem & ipſa potentiæ genus eſt, & quælibet pars *potentiæ per ſe* multiplicatur per Vicinitatem, & per conſequens, potentia integra vicini potentis eſt velut factus ex ductu vicinitatis in potentiam per ſe, & ita erit velut factus ex ductu potentiæ in potentiam. Ergo *potentia ſimplex ad potentiam integram Vicini & potentis ſimul; erit, ut radix ad quadratum, vel latus ad rectangulum*, quod ſecundi *Corollarii* rationem habere poteſt. Adde ſimile quiddam *infra prop. 60 propè finem demonſtrationis.* Eadem propoſitio indirectè quidem & mediatè, *Lotharingo* adverſa eſt, cujus certus & potens amicus (Domus Auſtriaca) nobis Vicinus eſt. Nam ut ex *prop. 52. demonſtione* patet, etiam is potens eſt, qui potentem

tentem amicum habet. Etsi tanto minus, quanto minor, incertior, instabiliorque amicitia. At verò & magnam, & certam, & ob *ejus quod interest, stabilem coincidentiam*, & arctioris fidei pignus, duraturam quoque Lotharingi cum Austriacis amicitiam esse, in Schoëliis *prop.* 52. & passim ostensum est. Cæterum Condæum & Neoburgicum hæc propositio neque directè, neque indirectè tangit; sed tamen *Corollarium* ejus *prius* ad *Condæum* quoque eâ ratione pertinet, quia Vicinos Poloniæ hostes habet; Austriacos quidem certos, tripli autem fœderis membrum Suecos non valde incertos. At Neoburgico, inquies, si nullus alius, certè Moschus hostis erit. Ita Sanè, sed hoc omnes ad Candidatos pertinet, quibus omnibus Moschus in festus erit, minus tamen Neoburgico, quàm cæteris, quia minus potentem minus timebit. Quod de Cæsare & Gallo non est; horum enim neuter Neoburgico ob excluſum clientem suum, infestus erit, quia & adversarii clientem excluſit. Porro si

hæc

hæc ratio valet, valebit ad excludendos omnes, præter Moſchum, id eſt, ad eligendum ipſum Moſchum, quam tamen rationem Poloni tam validam non putant, & nos in *Scholiis prop. 51.* oſtendimus, majorem â recepto, quàm ſpreto, metum eſſe. Cæterum & tertium *Corollarium* hic addendum eſt; *Inteſtinum potentiſſimum* (cæteris Paribus) *eſſe.* Inteſtinus enim eſt Vicinisſimus, Vicinisſimus eſt potentisſimus *per Prop. præſentis demonſtrationem.* Ergo inteſtinus eſt potentisſimus. Cæteris paribus, inquam, nam omnes illos, qui ſimplici potentiâ ei æquales ſunt, eo ipſo potentiâ vincet, quia vicinisſimus, quia inteſtinus eſt. Hujus Corollarii uſus erit *infra prop. 60.* cum de *Piaſto* agemus.

PROP. LIV.

„ Eligendus EGENUS ne
„ eſto.

Hactenus oſtendimus non potentem, (& per

(& per conſequens, nec potentibus amicum;) nec vicinum eſſe debere; nunc reſtat, oſtendamus, nec nimis impotentem, & egenum ſuadendum.

Egenus eſt, cujus ſuſtentatio ab alterius voluntate pendet.

Is ergo maximum ab altero beneficium, ſuſtentationem, accipit; maximum damnum, alimenti ſubtractionem, accipere poteſt.

Ergo maximam & ad amandum, & ad timendum inclinationem habet.

Et timor ceſſat quidem metu ceſſante, amor tamen non ceſſat, beneficio ceſſante.

Quemquis amat, vel timet; vel amat, & timet, ejus voluntatem ſequitur.

At alterius voluntatem ſequi Regem, Reipublicæ periculoſum eſt.

Confer Prop. 55. infra, ubi demonſtratum, Candidatum non debere obſtrictum alteri

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 93, [197] - 191
PUBLIC DOMAIN

teri esse; nam alterius voluntas incertum est, an non in nos mala sit, imo probabile est malam esse, quia Respublicæ plerumque æmulæ sunt, & altera alterius commodis obstat adde Prop. 41. 42.

Ergo eligendus EGENUS ne esto.

Idem aliter:

Quo quis plus eget, hoc plus appetit.

Quo plus appetit, hoc plus, si potest, rapit.

Potest autem Rex.

Quis enim omnes ei occasiones præveniat? certè Magistratus constituere in ejus manu est.

Ergo facilè *Simoniam* illam *Politicam*, Gallis usitatam, officia plus offerenti addicendi, introducet:

Ergo hoc plus rapiet.

Ergo Regnum expilabit.

Id verò est contra αὐτάρχειαν & libertatem.

Ergo eligendus ne esto EGENUS.

Idem aliter;

Regi

Regi novo conſtituenda denuò aula, inſtruenda ſuppellex, omnia tanto magnificentius quanto plus ab initiis authoritatis opinio pendet.

Ei rei proventus menſæ Regiæ non ſufficiunt.

Illi enim vix ordinariis hoc rerum ſtatu Sumptibus ſufficiunt, & alioqui in interregno ſic atteruntur, ut reſpirare diu non poſſint.

Ergo aut Candidato de ſuo aliquid effundendum eſt, quod egenus non poteſt,(Rempublicam potius egeſtate ſuâ, & liberorum numero oneraturus, cum alibi aliunde vè nil habeat)

Aut imponendæ extra ordinem *Contributiones.*

Eæ verò & fortunis, & libertati damnoſæ.

Ergo eligendus EGENUS eſſe non debet.

Hæc propoſitio rectè conſiderata etiam

Moſco adverſa eſt. Nam dives habendus non eſt, cujus opes ab alterius voluntate pendent, qui ſibi non ſufficit. Jam Moſchi filius quidquid habet, Patris eſt. Neq; enim peculium aliquod liberis principis, apud barbaram iſtam gentem aſſignatur quæ adeo dura & avara eſt, ut filias Magni ducis ne dotare cogatur, innuptas in Monaſteria detrudat. Quô ineptius, quod nuper aliqui de matrimonio Lotharingi cum filia Moſchi fabulabantur. Porrò ſi Moſcho hoc opponi poteſt, nec *Condæus* objici idem ſibi dedecus putet. Omnis ille egens eſt, qui totus alterius eſt, qui nec ſe ſibi habet, & quicquid ſibi habet, alteri habet. Reditus quoq; ejus non fixi, non ſtabiles, ſed ſalarii rationem habentes. Quisquis autem ſolo *ſalario* vivit, egeno certè quàm diviti propior. Neq; principes Galliæ territorium independenter poſſident: quicquid tenent, Gubernatorum titulo à Rege tenent. Jam qui territorium non habet, ejus opes radicibus carent; quo nomine Legatus Hiſpanus theſaurum

ſui

sui Regis, thesauro apud D. Marci Veneto, quem lustrabat, prætulit, qui radices in America haberet. Ergo qui territorium non habet, is nec satis dives erit; perire enim omnia præter territorium possunt. Condæus ergo, cujus reditus à Regis Galliæ voluntate pendent, obnoxius ei sit necesse est. Nam etiam cùm Rex factus erit, tamen percipere suos è Gallia reditus optabit; Ergo Rex noster perpetuus Regis Galliæ stipendiarius erit, & memoria beneficii, & metu amittendæ pensionis obstrictus. Jam *Lotharingum* hæc maximè stringunt. Is enim non modò territorium non habet, (nam quod habere, nisi per bellum, cum potentiore, non potes, perinde est, quasi non habeas) sed nec thesaurum sortemq; cujus fœnore vivere possit; ergo velut in diem vivit, & annuis stipendiis Tribuno militum Cæsareo debitis, ac de cætero quotidiana Cæsaris munificentia sustinetur. Quatuor scilicet divitiarum, aut potius sufficientiæ gradus sunt: (1) *Territorium habere*, (2) *thesaurum habere*,

re, (3) ſalarium habere, (4) extraordinariâ viâ, indefinitâ, incertâ, alterius liberalitate ſuſtentari. Ex quibus ultimus gradus exiguus profecto, aut nullus eſt. Is vero in Lotharingum potiſſimum cadit; nam ſalarium illud Tribuni vel Colonelli inter principis alicujus reditus vix nominari dignum eſt. Ergo Cæſari, cujus alumnus eſt, gratus, obnoxius, amicus, mercenarius, non poteſt non eſſe, & nunc maximè quaslibet conditiones ſubſcribet, ne deſeratur. Collocaverat verò & in Patruo Duce Princeps Lotharingus ſpem nonnullam, cùm enim ditionem invito Gallo tenere ſe poſſe diſſideret, & patruum cerneret omni ope niti, ut filio naturali territorium principe dignum compararet, non rapinam arbitratus eſt, jacturâ principatûs regnum redimere. Ergo neceſſariam pecuniæ ſummam pactus certis conditionibus renuntiare juri ſuo parabat, & jam patruus exeſas rubigine arcas, & ſtipatos principalium Belgarum lacrymis loculos aperire lenta & hæſitante manu molie-

moliebatur, cùm ſubitò Rex Galliæ tri-
pli fœderis, & Lotharingicarum vete-
rum tricationum æquo metuentior, in-
terceſſit, noluit hoc infeſtæ ſibi familiæ
clientis incrementum pati, negavit Du-
ci, illud ſe jus agniturum quod damno-
ſo Gallis pacto acquiſiſſet; ſin perge-
ret, ſin denuntiationibus non aquieſce-
ret, hoſtis loco ac numero fore; o-
mnem ſpem conſervandi in principatu
filii, quam nunc Rex non planè dene-
get, deponere debere. Jamq; ſtabat in
finibus miles, & Moſæ tranſitum Cre-
quius tenebat, ita territus patruus, ma-
jorem ſuæ, quàm alienæ ſalutis ratio-
nem habere cœpit, & omiſſa nundina-
tio eſt, & fons aurifluus, qui cùm præſi-
lire cœperat, ſubitò ſuffocatus, aren-
tem deſtituit. Omnia ergo ad Hiſpa-
nica nunc & Auſtriaca ſubſidia redie-
runt. At verò fodinæ Americanæ diu
nimis cultæ, reſpirant nunc aliquandiu
& interquieſcunt. Ergo ad extremum
omne incumbet in Rempublicam onus.
Hæc ſuppellectilem, aulam, Comita-
tum, ornamentaq; omnia novo princi-

pi instruet, continuò etiam nuptias curandas habebit, quarum profectò sumtus facilè excedere dotem potest. Et vero sumptus Reipublicæ, Dos Regis erit; & quod nunc tam difficili tempore monetæ restaurandæ impendi utiliter posset, in luxum Pompamq; inutilem, sed necessarium tamen, ut nunc sunt tempora, prodigetur. Neoburgicus verò opes, ut mediocres, ita stabiles, & proprias, & uno Verbo *suas*, habet, habet enim & *territorium*, & *thesaurum*. Territorium tribus inclytis Ducatibus constans, si opus sex militum millia, commodè alere in Polonicæ Reipublicæ usum potest; & verò etiam ingentes annuos reditus facilè præbet, quæ summa profectò magno Poloniæ levamento esse potest; & princeps, quanto per seplus habet, tanto liberius, liberaliusq; proventus mensæ Regiæ in Rei publicæ usum, in monetam, in militem impendet. Thesaurus *Neoburgico* certè Regius est, & longâ majorum diligentiâ collectus, & propriâ, cùm prudentiâ in regenda ditione, tum felicita-

te in

te in ducenda uxore, magnificè auctus. Nam quod ei Anna Catharina Conſtantia, Princeps Poloniæ, conjux prior, dotale attulit, id quanti æſtimatum ſit, legi apud *Piaſecium pag.* 504. poteſt. Hoc ille Poloniæ donum, Rex factus in Poloniam poteſt referre, quod certè contemni non debet. Nam, teſte alibi eodem Piaſecio in Sigismundi III. electione eadem conditio ac pollicitatio multum valuit, quod ita Catharinæ matris, & Annæ amitæ, principum Poloniæ, bona mobilia, & pretioſiſſima ſupellex (cujus bona nunc pars in ha- Neoburgici dotem confluxit) in Polonia conſervarentur. Quod etiam & Henricus Valeſius, & Erneſtus Auſtriacus apud *Thuanum*, & *Fredronem* pollicitiſunt, de ſe juvenibus Polonis in exteris locis ſtudiorum cauſa ſuſtentandis, Id Neoburgicus & promittit, & facilè præſtabit. Nam Ingolſtadii, & Coloniæ antequam peregrinando longius eant, rudimenta ſtudiorum ponere pulchrè poſſunt, utraq; Academia Catholica (nihil enim efficacius dilatandæ novi-

novitati in Polonia fuit, quàm quod ſpretis Sigismundi Auguſti decretis, juventus proteſtantium Scholas viſere permiſſa eſt) utraq; ditioni hæreditariæ Regis ſui, illinc Neoburgicæ, hinc Juliacenſi, vicinâ. Et verò illa peregrinationum vera ratio eſt, quæ gradibus conſtat; qui initio ſtatim in remotiora abit, & omnia nimis nova offendit, & ſuorum conſilia ſubſidiaque præmaturè quodam intervallo abrumpit, & in ſueto corpore aerem ægrius fert, tum vero multa apud longe remotos, Gallos, Italos, Hiſpanos, admiratur, & infanis ſumptibus conquirit, quæ illi vicini Germani aut Belgæ, aut æquè, aut etiam melius præbent. Ergo Polonos, Germanosq; Germaniam prius Belgiumq; luſtrare decet, inde præparato animo & corpore, cognitis, jam ſuis ſuorumq; & vicinorum rebus, aliena & diſſita temperantiùs æſtimabunt. Oſtendimus, *territorium theſaurumq;* Neoburgico eſſe, qui duo ſunt ſummi ſufficientiæ gradus. *Salarium* vero & *ſuſtentatorem* adeo non habere ſe, lætatur,

ut

ut etiam eò gratiorem se Polonis putet, quod alterius stipendiarius non sit. Attamen referri huc potest, quòd filiis plerisque de Beneficiis in summis per Germaniam Electoralibus, ArchiEpiscopalibus & Episcopalibus Ecclesiis providit, eosq; ita beneficiarios fateor, stipendiarios, & obstrictos fecit, sed quod periculo caret, Ecclesiæ Catholicæ, & Dei de quo supra *in scholiis Prop.* 31.

PROP. LV.

„ Eligendus nulli OBNO-
„ XIUS esto.

Obnoxius est, qui necessitate juris, vel facti, quod alius velit, facere tenetur.

Necessitas juris apud gentem, cujus scopus justus est (quales Poloni per *Prop. 8.*) *necessitati facti* æquivalet.

Nam præclara *Papiniani voce* in *L. filius*, 15. di-

15. digeſt. de Conditionibus Inſtitutionem.
„Quæ facta lædunt pietatem, exiſtima-
„tionem, verecundiam noſtram, (& ut
„generaliter dixerim) contra bonos
„mores ſunt, ea nec facere nos poſſe
„credendum eſt.

Facere quod alius velit, periculoſum eſt, ſi ejus voluntas periculoſa eſt.

Omni Reipublicæ, & Principi regulariter voluntas alterius periculoſa, adde *Prop. 41. 42.*

Rerum publicarum enim, & principum perpetuus invicem affectus eſt, æmulari, & invidere, alterius incrementum nolle.

Neceſſitas rei periculoſæ periculoſa eſt.

Eligendus igitur alteri OBNOXIUS eſſe non debet.

Idem aliter:

Imminuta ſubditorum libertate augetur poteſtas Principis.

Auctâ poteſtate Principis augetur non

non quidem potentia per se, *agilitas*, tamen Reipublicæ.

Id aliis Principibus & Rebus publicis displicere solet. *Confer. Prop. 41, 42.*

Ergo Respublicæ, vel principes, alterius Principis subditos fovere, eorumq; libertatem defendere volent.

Ita vindices libertatis Germanicæ Galli, Dani, Sueci fuerunt, Gallicæ & inprimis Rupellanæ, Angli, & ipsi Hispani; Batavæ Galli, Angli, Germani.

Nisi principem illum *Obnoxium* sibi habeant.

Ut enim Austriaci Sigismundum III. tum enim aucta ejus potentiâ etiam propriam augent.

Obnoxius ergo aliis princeps, vindices libertatis Reipublicæ in insidiatores, quod periculosum, transmutat.

Ergo Eligendus OBNOXIUS alteri esse non debet.

Hæc

Hæc propositio præcedenti connectitur, quia etiam *Egenus* sustentatori suo obstrictus est. Porro obstrictus aliquis est *jure & facto*. *Jure*, qui alteri subditus est, qualis *Condæus* Regi suo, adde Prop. seq. & *supra schol.* Prop. 52. Moscus Principi, & patri; item, qui beneficio vero, & grandi & ex animo profecto, & accipientis causa collato, Affectus est, is gratitudinem debet *per Prop. 44. & seq.* Talis est *Lotharingus* Austriacis. De quo *in scholiis Prop. 52. & 54.* At vero *Neoburgicus* nulli. Nam & *Lotharingum* vera & interioris affectus caritate Austriaci prosequuntur, & cum ille his solis nitatur, *id quod interest* etiam, seu scopus ejus; Austriaco συμμαλλήσει. At verò, cùm nullus sit, quo uno *Neoburgicus* stet, cadatve, præter voluntatem Poloniæ, neq; scopus ejus alterius scopo concidet, cumque à cunctis non amore interiore (cujus causa & occasio apparet nulla) sed *mutuo metu deterioris* commendetur; isti etiam beneficio vera gratitudo non debebitur,

per

per Prop. 45. 46. Ergo eo nomine obnoxius nulli erit. Est etiam aliquis Jure ei obnoxius, cujus minister est, à quo stipendium capit, cui sacramentum dixit. Talem *Lotharingum* Cæsari esse, cujus legioni alicui præest, negari certe non potest. Nos vero Regem nolumus, qui nisi improbus, ingratus, ac propè perjurus sit, nobis bene imperare, animum ab aliis suspectis abducere, nobis se unis devovere non possit. Facto ei obnoxii sumus, quem iratum veremur, qui damnum dare impunè potest, si velit. Is ergo non irritandus obnitendo, sed obsequendo placandus est. Talis Gallus *Condæo*, nam, Regem licet factum, aurea adhuc catena, ligatum habebit, pensiones quippe, quàs à Rege in Gallia, Regias ferè & magnificas, capit, invitissimè deserentem; ergo operam daturum, ut ille se morigerum præbeat, qui & continuare stipendium, & uno nutu imbrem argenteum sistere potest. Talis idem Gallus *Lotharingo*. Nam si tam felix Lotharingus est, ut ditiones avitas mortuo Patruo

truo recuperet, certè invitò Galliæ Rege vel non obtinere, vel non diu retinere sine immani sumptu potest.

Lotharingiam quietè cui-quam habere impossibile est, nisi qui obnoxium Gallis animum gerit, omnesq; eorum nutus suspicit. Necesse est ergo, Lotharingum vel *hostem* Gallorum, vel *Obsidem* esse. Hæc omnia, quam periculosa sint, quis non videt? Quid prodest corpus Regis habere, si animus ejus apud alium sit, vel ut dominum, vel ut amicum? Amicus quidem Reipublicæ verus esse non potest, qui vel amore vel metu occupatus, liber amplius, & sui juris non est, ut, quod Regem decet, Mentem puram, adhuc & integram mancipare uni Reipublicæ, hujus bona malaq; sua credere, hujus scopum sibi præstituere, huic uni se datum meminisse possit.

PROPOS. LVI.

„Eligendus EXTRANEORUM

„RUM auxiliis ET SI U-
„ TATUR, tamen non
„ NITATUR.

Niti eâ re dicimur, quæ necessaria est, seu qua demtâ spes nulla est. *Uti* ea tantùm, quæ utilis quidem, sivè ad augenda auxilia, sive ad tollenda impedimenta. Sic tamen, ut eâ amissâ, non ideo desperemus.

Jam si quis extra Poloniam Candidato ad electionem necessarius est; integra potestas electrix in Polonis non est, sed pars in extraneo.

Extraneum in maximo Reipublicæ negotio tantum posse, & turpe, & libertati adversum, cujus pars maxima, libera electio est contra *Prop. 3. & 9. & 14.*

Qui in maximo Reipublicæ negotio tan-

tantum Poteſt, ſimpliciter *Potens* cenſendus eſt in *Republica*.

Ergo & potens ad nocendum, & ſimul inteſtinus.

Inteſtinam autem *Potentiam* hoc ipſo majorem eſſe, & periculoſiorem, vide *prop. 53 Corollar. 3.*

Et cupidus etiam nocendi, more omnium Principum, & Rerumpublicarum, invicem æmularum, vide *Prop. 41 & 42.*

Ergo facile nocebit.

Ergo QUI EXTRANEIS NITITUR, Candidatus, turpis, libertati adverſus, periculoſus eſt.

Idem aliter:

Eligendus eo demum *nititur*, ſine quo nihil Regni (quia Regnum indiviſibile eſt) acquiſiviſſet.

Per definitionem præmiſſam.

Sine quo quis nihil acquiſiſſet, ei acquiſitum in ſolidum debet.

Ergo

Ergo si quis pluribus nititur, singulis beneficium in *solidum* debet initio, *concursu fiunt partes.*

Uti in *jure accrescendi*, vel potius non decrescendi inter conjunctos.

Omnis eligendus, qui extraneo *nititur*, eo ipso pluribus *nititur*, nempe & Republicâ, sine cujus voluntate, & extraneo, sine cujus ope, non obtinuisset.

Ergo utrique beneficium maximum æqualiter debet.

Ergo æquali & in Rempublicam, & in extraneum amoris inclinatione, & est, & de jure esse tunc debet.

Id vero periculosissimum esse, demonstratum est.

Tum *Propositione* 52, quod Candidatus multis, aut potentibus amicus esse non debeat, tum *Propositione* 55. quod nulli obnoxius. Nam cum scopi principum, & Rerumpublicarum plerumque adversâ

adversâ fronte concurrant, aut concursuri saltem metuantur, nemo pluribus sincerè amicus esse potest.

Eligendus ergo Extraneis uti potest, non niti debet.

Quòd *utitur* suspectus esse non potest. Nam & hoste uti, jus est. Fas est, & ab hoste doceri, qui utilitatem ex adversis capere possit, eum in arce sapientiæ *Cardanus* collocat. Cæterum manifestum est, Mòsci filium Patre *niti*; *Condæum*, Rege Galliæ manum subtrahente nec movere se posse, cujus minister subditusq; est; *Lotharingum* Austriacis destituentibus, quorum alumnus est, nec ibi pedem prope Poloniam ponat, habere, ac ne minimis quidem, sed necessariis sumtibus sufficere. Contra *Neoburgicus* neque permissione, neque sustentatione cujusquam indiget, *nec* commendatoribus *nititur*, *etsi*, ne noceant, *utatur*, nam jam nunc nulli commendatorum tuto fidere, nulli spes suas credere potest; cùm fama publica ferat Austriacos Lotharingum, Condæum

dæum Gallos malle, aliumve. Ergo in eum eventum cuncta providit, ita res suas composuit, ut destituentibus etiam illis, &, quod hactenus non fecerunt, animum nudantibus, subsistere tamen vel *solo*, quo jam tum unicè *nititur*, *Polonorum favore* possit, quos ille jam à tot annis propriâ virtute & prudentia sibi conciliavit.

PROP. LVII.

„ Eligendus (extraneus) nulli personâ SUBDITUS esto.

De Extraneo loquor, nam Piastum certè Reipublicæ Polonicæ subditum fuisse necesse est. Porro de personali, non territoriali subjectione loquor. Nihil enim prohibet, Principem aliquem certæ rei, prædii, castri nomine, quod in alterius territorio possidet, alteri subditum vel Vasallum esse, quia non tàm ipse, quàm res subdita censeri debet. Propositio autem hæc, prioribus connecti-

nectitur, quia, qui alteri ſubditus, eo etiam nititur, ei obnoxius eſt; ſubditum autem eſſe, eſt maximè obſtrictum eſſe. Ut vel ex eo demonſtrata hæc propoſitio videri poſſit. Nos tamen aliter, & uberius idem efficiemus.

Subditus eſt, qui ſummæ alterius poteſtati ſubeſt.

Perſona ſummæ poteſtatis continet in ſe *perſonas ſubditorum civiles*, vel ut quidam vocant, *morales*, *per demonſtrata Thomæ Hobbes in Elementis de cive*.

Perſona Civilis omnium jurium collectio eſt.

Inter jura autem in caſu propoſito & Regnum erit.

Ergo ſi Eligendus alterius ſubditus ſit, Principi ejus Regnum noſtrum acquiretur, niſi expreſsè renunciet.

Neque id exemplo caret. Veneti certè Cypri Regnum nullo alio prætextu invaſerunt,

vaſerunt, quam quod Regina Cypri Catharina, ipſorum Civis eſſet. Ita ſi Condæum, (imò & Lotharingum, nam & hunc ſibi ſubditum certo reſpectu Rex Galliæ aſſerit,) eligamus, poterit aliquando Rex Galliæ contendere, quicquid ſuo ſubdito acquiſiturum ſit, id ſibi acquiſitum eſſe, & ſi Condæus extinguatur, ac nos à ſtirpe ejus abituri, vel quòd defecerit, vel quòd diſpliceat, reponamus: Jus vel Condæi, vel Domini ejus, extinctâ Perſonâ extinctũ eſſe; audiemus ſtatim à Rege Galliæ vel ſucceſſore ejus illud decantatum, nunc Gallis, ſed multis modis lubricum axioma, quidquid ſemel Regi ſuo acquiſitum ſit (ſive per ſe ſive per ſubditum ſuum) multò magis vero, quod ſubdito, id Coronæ inſeparabiliter per fundamentalem Regni Legem, unitum eſſe: quaſi ſcilicet fundamentalis Regni Gallici lex jus aliarum gentium immutet, & populorum enm Rege vel Coronâ ſuâ contractibus legem formamque ponat, & alios quam ſubditos teneat; ſed tanti Gallis eſt, generalem omnium,

um, prætextuum colorem reperisse quem eos etiam bello inchoando sufficere putare nuperæ illæ foeciales chartæ docuerunt. Quare cùm hoc nunc orbi universo denunciaverint, eò plus juris in illos sibi asserent, qui moniti, ne sic quidem caverunt; Vitemus ergo hæc retia & nulli subditum Regem eligamus.

Renunciare autem in ejus arbitrio est,

Ideo potest sub conditione quâlibet renunciare.

Ergo, Candidatum Regno inhiantem ad quaslibet secretas conditiones etiam sacramento adigere, sibique perpetuo obnoxium tenere potest.

Eligendus alteri obnoxius ne fuisse quidem, ne dum manere debet, *per prop. 55.*

Ergo *eligendus personâ subditus alteri esse non debet.*

Debet

Debet igitur, absolutus, superior aliis superiore in terris carens, un souverain, independens esse. Talis nec *Moschus*, nec *Condæus* est. Lotharingi Jus ambiguum. Nam etsi familia ejus in Germania Ducatum obtinuerit, origo tamen dubitatur. Ponam verba scriptoris alicujus nuperi. Nec verò, inquit, „ad Lotharingi familiam quicquam „Godofridus Bullionæus pertinet. Is „enim, & Balduinus, regno Hierosolymitano gaudentes, Ducatum Lotharingū pro de relicto habuerunt. Eum „igitur primum Limburgi Comes ab „Henrico IV. impetravit, eo deinde „improli mortuo, Henricus V. Lotharingum inferiorem Godofrido Barbato Comiti Lovanii dedit, quæ inposterum Brabantia dicta est. Superior „data Wilhelmo Godofridi fratri, quæ „sola Lotharingiæ nomen retinuit. Sed „hujus Jus à nonnullis in dubium vocatur, qui Ducatum à Godofrido Bullionæo retentum volunt. Postea Radulphus Dux Lotharingiæ (à Wilhelmo, ut nonnullis videtur descendens) ductâ

„ductâ Mariâ Guidonis Blesensis filiâ. „Comitatum Guisiæ obtinuit, à quo „nomen ducunt famosi illi Duces Gui- „sii. Alii Claudium quendam primum „Ducem Guisium faciunt. Porro Re- „natus Comes Andegavensis ductâ Isa- „bellâ Caroli Bellatoris, Lotharingiæ „Ducis, filiâ, factus est Dux Lotharin- „giæ. Ad extremum cùm Nicolaus „Venustus Lotharingus sine prole ma- „scula obiisset; Lotharingia pervenit „ad Fridericum Comitem Vaudemon- „tii, qui sororem ejus duxerat. Alii „volunt, Fridericum hunc ductâ Jolan- „thâ Renati Andegavensis filiâ ad Lo- „tharingiæ Ducatum venisse. Porrò „Vaudemontios alii à Bullionæis, alii „inde usq; à Carolo Magno deducunt, „irrito conatu, quando plenas ubique „innumeris hiatibus genealogias satis „inter se connectere, quod caput est, „non potuerunt. Hæc ille. Ex qui- bus apparet Vaudemontiorum dubiam originem esse. Huc ergo res redit. Si Vaudemontii Comites aut Principes Imperii ab initio fuerunt, antequam Lotha-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 93, [222] - 216
PUBLIC DOMAIN

Lotharingium acquirerent, etiam aliorum Imperii Principum more, *Jus suprematus*, la ſouveraineté, habent: ſin galliæ Regis ſubditi fuerunt, negabit ille perſonam eorum novi Ducatus acquiſitione liberam factam eſſe. Reſtat nunc ne idem *Neoburgico* objiciatur, ut oſtendamus, Principum Imperii *PERSONAM* ſuperiorem in terris non agnoſcere, nec ideò Imperatori ſubjectos cenſendos, quia Territorium Imperio ſubjectum habeant.

Nam fingatur, quanquam falſum eſt, quod Princeps Germaniæ ſit, ejus perſonam eo ipſo ſuperiorem agnoſcere, & Imperio vel Imperatori ſubditam eſſe.

Cum igitur etiam Reges Sueciæ & Daniæ Principes Imperii ſint: ille Dux Pomeraniæ & Bremæ: hic Dux Holſatiæ.

Sequitur etiam illorum perſonam imperio vel Imperatori ſubditam eſſe.

Ergo Persona Regum Sueciæ pace Westphalicâ Imperio subdita facta est.

Subditi omnia Jura in superioris persona continentur seu superiori acquisita sunt.

Ergo Reges Sueciæ pace Westphalica non modo nihil acquisiverunt, sed & personam suam cum omnibus annexis, juribus & territoriis hæreditariis, Imperio subdiderunt.

Id verò absurdum, & tum intentioni contrahentium contrarium, tum nunquam à quoquam somniatum, ne tum prætensum.

Ergo *falsum est, Principem Germaniæ statim Imperii & Imperatoris subditum esse.*

Certè si subditi Imperii personaliter essent, omnia Regna, quæ Principes Germaniæ acquisiverunt: Hispania, Neapolis, Sicilia, Suecia, Norwegia, Dania,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 93, [224] - 218
PUBLIC DOMAIN

nia, &c. Imperio acquisita essent. Episcopos quoque Germaniæ & Abbases quosdam nihil prohibet, & quoad personam Imperio (omnium Clericorum privilegio) exemtos, & quoad territorium subditos esse. Quidam Germanus nuper, qui se ficto Itali nomine severinum de Monzambano vocat, longiùs progressus, non solùm personis, sed & territoriis Principum Germaniæ tribuit: superiorem, præter Principem suum, non agnoscere. Ideo negat, Imperium unam Rempublicam constituere, sed fœdus multarum. Sed cùm territoria Principum omnia sint Imperii feuda; necesse est ipsum ~~decretum~~ dominium territoriorum Imperii esse. Cui Dominium alicujus rei competit, illud est persona. Jam si Imperium una *persona* est; nempe *civilis*, non nuda societas seu fœdus, sed una Civitas vel Respublica erit. Hoc ipsum enim interest inter societatem, & universitatem vel Collegium; quod in societate sors collata singulorum est, in universitate totius. Imperium autem

Comitiis continetur, & persona civilis est, habens unam voluntatem consensu statuum declarabilem, ergo & unam Rempublicam constituit. Personæ verò Principum Imperii nonnisi inter se fœderatæ sunt, velut plures pares Curiæ ejusdem Domini. In personas autem Cæsari, imò & Comitiis, jus esse non videtur. Exemplo potest esse jus religionis, quod quia personalissimum est, Comitia remiserunt. Sanè si Carolus V. Joannem Fridericum Saxonem capite truncari curâsset, non potuisset defendi magis, quàm quod in Conradino Carolus Andeganensis fecit. At, inquies, quomodo ergo in *Bannum declarantur*,? Sed facilis responsio est, in Bannum declaratos, hostes judicari, hostes autem judicari possunt etiam qui subditi personaliter non sunt, & perinde est, Regem Sueciæ exempli causa, propter Pomeraniam in bannum declarari, quam Regem Galliæ propter Belgium hostem judicari. Cæterum Principes Germaniæ non minus quam Italiæ, omnes etiam exteri inter

ἀντιχειρίας, entre *les Souverains* referunt, cum iis fœdera ineunt, connubia contrahunt, breviter, ut pares, ut consanguineos colunt. Hos minime factiosos suspectosque censent, his potentiâ nec timendis, nec contemnendis, coronas deferunt; hos receptos in regna & facilè tolerant, & seditionibus minimè sollicitant. Castilia nunquam contra Austriacos insurrexit, cæteræ Hispanorum provinciæ non tam in Austriacos, quàm Castellanos; Bohemorum Seditionem nemo probat. Dani Regi suo Oldemburgico Holsato hæreditarii Regni Jus, raro volentium subditorum munere, in patriæ egregiè defensæ mercedem dederunt; Sueci, & Albertum Megapolitanum, & Christophorum, Joannis, Palatini Rheni, & Ducis in Neuburg, filium, cui & *Leges* Regni debent, *experti sunt*, nunc Carolum Gustavum in Filio colunt. Ipsi Galliæ Reges Hugonem Capetum suum ex Witichindi, Saxoniæ Principis, stirpe oriundum gloriantur. Ergo Principibus Germaniæ libertas, auto-

ritas, nobilitas, decus, potentia, Rege digna, nec deeſt, nec ſupercſt, ſeu nec nimis formidoloſa eſt. At eſto, inquies Perſona Neoburgici, ſubſit nulli, eſt tamen alicui obnoxia, (quod eſt contra *Prop. 55.*) ei nimirum, cui territorium ejus ſubeſt, nempe Imperatori. Ego verò nego, id Imperatori ſoli ſubeſſe; Imperio ſubeſt, ſtatibus, Comitiis, & ita partim *SIBI IPSI.* Imperio igitur non magis obnoxius eſt, quàm Rex Hiſpaniæ, Sueciæ, Daniæque, quam futurus erat ipſe Rex Galliæ cùm non ita pridem, in Electione Leopoldi, hodierni Imperatoris, Alſatiam, Mediomatrices, Tullum ac Virodunum, & iterum nuper Belgium arreptum ſe ab Imperio feudi & reliquo priſtino dependentiæ Jure recepturum, polliceretur. Et vero Imperio obnoxium eſſe periculoſum Poloniæ non eſt, quia *ſcopus & ingenium Imperii & Poloniæ coincidunt.* utriusque enim ſcopus eſt conſervatio ſui; neutra Reſpublica prolatare fines affectat. Eſt ergo inter Imperium & Poloniam quædam *quaſi amicitia.* (nam

vera

vera inter Reſpublicas non datur, *prop. 42.) ex coincidentiâ finium & ejus quod intereſt*, orta. Nam ſi duæ Reſpublicæ ſint, quarum utriusque ſcopus ſit; *ſui conſervatio*, eæ, quamdiu à ſcopo ſuo ipſæ non declinant, nunquam inter ſe adversâ fronte concurrere poſſunt. Et ita poteſt idem utrique ſimul obnoxius eſſe; nullo alterutrius periculo. Neoburgicus ergo ſi Rex Poloniæ eligetur, quatenus Imperio vaſallatûs, Jure obnoxius manet, tenetur, non ultrà, quàm, ut ejus conſervationi operam det. At verò hoc jam tùm ſtatus ratio & Poloniæ, & omninò omnium ferè Principum Chriſtianorum, abeo exigit, quorũ intereſt, Imperium non opprimi, non diſſolvi, ſed Principes ejus, in æquilibrio quodam conſervari, exteros arceri actus Hiſpanicos Gallicosque hoc velut repagulo coërceri; denique prohiberi, ne potentior aliquis, tantæ ditionis ſpoliis auctus, nutantia huc illuc, & incertis veſtigiis titubantia Monarchiæ Europeæ fata in ſe inclinet.

PROP. LVIII.

„Eligendus ALIUD PER
„ SESE REGNUM
„ ne HABETO.

Paulo ante diximus, *absolutum* esse debere *persona*; non tamen statim & ditione. *Ditionem* verò nimis magnam, seu *Regnum*, absoluto jure habere non debet, de quo nunc:

Regnum voco, grande territorium cum summa potestate.

Rex Poloniæ, qui aliud quoque Regnum habet, aut hoc aut Poloniam per *Vice Reges* reget *contra prop. 21.* aut alioqui alteri pro altero se impendet.

Et verò probabilius ei Regno se impendet, in eo hærebit, in quo plus potestatis habet; plus autem sine dubio in altero, quàm in Polonia habebit.

Vix enim ullibi minor, quam in Polonia,

Regum

Regum potestas, ut taceam familiarem, suetum, notum gratumque magis veteri esse.

Ergo alterutrum Regnum offendet, probabilius autem Poloniam.

Hinc dissidia Regnorum inter se, & cum Rege alterutri Regno adhærente, probabilius autem alteri quam Poloniæ.

Ea tanto periculosiora, quanto alterum illud potentius.

Regnum autem definitur à nobis: potens aliquod seu grande territorium cum summa potestate.

Neq; enim tam nomina, quæ vulgus imponit, quam ratio certa consulenda est. Nec quisquam inveniet, cur *Magnus Ducatus* Moschoviæ, Lithuaniæq; Regni titulum non mereantur.

Ergo eligendus ALIID PER SE REGNUM ne habeto.

Idem multis aliis modis constat. Nam & eidem obnoxius erit, contra *Prop.* 55. potens item per se contra *Prop.* 51. po-

tenti amicus contra *Prop. 52.* per Vice Regem imperaturus, contra *Prop. 21.*

COROLLARIUM.

Eligendum aliud præterea regnum habere, periculosum est, per *Prop. hîc.*

Ergo quem facile est, fieri alterius quoq; Regni Regem, eum periculosum fore, periculum est.

Jam *periculum periculi* minus quidem est periculo simplici.

Quemadmodum si fractionem fractione multiplices, factus factoribus minor est, & dimidium dimidiâ vice sumptum pars quarta est.

Non tamen contemnendum, sed tanto majus, quanto & illum Regem fore probabilius, & regnum ipsum potentius.

Ergo eligendum ALTERIUS QUOQ; REGNI PROBABILITER Regem fore, periculosum est.

Anno

Anno 1382. mortuo Ludovico Rege, durante interregno, à Polonis concluſum eſt, Comitiis Radomſci habitis, ut Ludovici quidem filiæ haberetur ratio, ſed cujus maritus nulli alii Regno implicitus, ſolis Polonis imperaturus eſſet, quâ ſententiâ, (inquit Flori Polonici autor Joachimus Paſtorius) non obſcurè excludebatur, Sigismundus Marchio Brandenburgenſis, Ungarico quoque ſceptro inhians. Vides hoc decretum ad eum, non quâ Marchionem, ſed quâ Hungariæ Regem futurum pertinuiſſe, & ita quòd Princeps Imperii eſſet, nihil nocuiſſe. Iidem tamen Poloni, eôdem interregnô Jagellonem, Magnum Lithuanæ Ducem elegerunt. An non ergo contradixerunt ſibi? Minimè verò; nam is eo ipſo regnum aliquod præter Poloniam habere deſiit. Univit enim Magnum Ducatum ſuum Regno Poloniæ, tantumq; abeſt, ut potens per ſe fuerit contra Rempublicam, ut potius Rempublicam tanto potentiorem fecerit contra ſe & ſecuturos Reges. Præſertim poſtquam ad extremum profectum

ctum est, ut eodem jure Lithuanica Nobilitas, quo Polona esset, quod factum ingeniosissimus Boterus laudat, & primorum Romæ Regum arti comparat, qui victarũ civitatum turbam, Romam traducebant, & jure cæteris civibus æquabant. Idem quod in Lithuaniâ, post & in Prussiâ, factum. Si quis ergo, Regnum cum primis vicinum per se habens, hâc conditione nunc quoq; Sceptra Poloniæ poscat, eum certum est, gratum hospitem fore. Sed id nemo prudens fecerit. Quid verò ineptius, quàm quod nuper scriptorculus quidam, omnis civilis prudentiæ ignarus, *speculo* suo illevit, scilicet Lotharingum unire Poloniæ ditionem suam velle? quam scilicet nec habet, nec nisi Polonorum armis & immani sumptu habiturus esset. Deniq; qui ob distantiam terrarum & tot aliarum Rerum publicarum variè affectarum intervalla cessante communicationis lineâ, neq; uniri, neq; unita teneri possit. Cæterum si *Moschus* hoc polliceretur, quod Jagello præstitit, fateor, cæteris paribus, audien-

diendum esse; Quantum enim hoc ad summam rerum esset, tantam ditionem inter mare Balticum Caspiumq; expansam, in cpmmunem cum Poloniâ scopum dirigi? quod aliter fieri non posset, nisi similis forma Reipublicæ, ut in Lithuania, apud Moschos quoq; induceretur, & quæ Polonicæ Nobilitati competunt, ea & Moschicæ tribuerentur. Hoc enim uniendarum Rerum publicarum parvum arcanum est, formam similem reddere. Unde Atheniensis ubiq; *Democratias*, Lacones *Oligarchias*, in victis civitatibus introducebant, & Magnæ Britanniæ reges Jacobus Carolusque Hierarchiam Anglicanam Scotiæ quoq; persuadere conabantur. At vero Moschus, nisi insaniat, nudam alterius populi gubernationem, jacturâ hæreditariæ dictionis emturus non est. Etsi enim Theodorus, Moscoviæ Magnus Dux, inter regni tempore proximè post Sigismundum Augustum, polliceri eadem non dubitaverit, sincerè tamen dici talia, persuasit nulli. Cæterum propositio hæc soli

li *Moſco*, Corollarium quodammodo & *Condæo* & *Lotharingo* obeſt. Condæus enim, & poſteri ejus, in regno Galliæ ſuccedendi jus habent, nec multarum adeo perſonarum intervallo abſunt. Certè paucis ab hinc annis proximi erant, paucioribus rurſus eſſe poſſunt. Credo prudentiores tunc Henrico Valeſio erunt, nec tam præcipiti fugâ Poloniam deſerent, ſed Gallici Regni potentiâ aucti opprimendæ paulatim libertatis artes circumſpicient. Lotharingus verò, certus *Auſtriacorum* gener, quorum domus uno mare adulto conſtat, orbitat, Cæſareæ, ac hæreditariis ditionibus, magnam partem fœmineis, Regnoq; Bohemiæ jam proſus addicto, imminet; quæ Regis noſtri in vicino potentia, vel (ſi concurrant alii, & lacerentur Auſtriacæ Provinciæ in plures) diſſidia & bella extremè periculoſa, & libertati Polonicæ & Securitati erant. Nihil horum in *Neoburgico* fingi poteſt.

PROP.

PROPOS. LIX.

„ Eligendus JAGELLONI-
„ GENA esto, si fieri
„ potest.

Regnum illa hactenus servata est.
Ergo deseri, novum.
Nova periculosa, *per Prop. 13.*
Retinenda ergo, si fieri possit.

Idem aliter.

Electio in Polonia, præter hanc unam, retinendæ, dum licet, familiæ Regiæ, observationem; prorsus *indeterminata* est.

Nam neq; leges quædam, neq; consuetudines hâc de re celebrantes, præter unum hunc morem, hactenus nullâ, ut mox patebit, interruptione servatum, *Regiam familiam sine causa non deserendi.* Quam enim aliam quælo limitationem afferemus? Si extraneum lege aut more eligendum contendemus, Piastus nos refellet; Si Piastum; Henricus,

&

& Stephanus & Sigismundus, & totalii, Hungari, Bohemi, Lithuani; Si jam Regem Stephanus; Si non Regem, Sigismundus: Si remotum, Stephanus; Si propinquum, Henricus: Si Catholicum, Jagello; Si protestantem, cœteri omnes, obstabunt. Breviter, vix aliud constantius hactenus à Polonis in eligendo Rege certo consilio servatum est, quàm ut familiæ Regis ratio haberetur.

Electio quò indeterminatior, hoc ad plures personas porrectior est seu porrigi potest.

Eo plures ergo competitores esse possunt.

Quô plures competitores, hoc plures factiones.

Quo plures factiones, hoc plura dissidia.

Quo plura dissidia, hoc faciliores turbæ;

Ergo Electio, quo indeterminatior, hoc turbulentior.

Sed

Sed si Regulæ illi insistatur, tum demum indeterminata est Electio, cum familia Regia deficit, aut indigna est, quorum utrumque rarum.

Ergo & illic crebræ, hic raræ turbæ.

Ergo hærendum familiæ Regiæ, dum fieri potest.

Idem aliter:

Jagellonigenæ habuerunt Lithuaniam *jure hæreditario.*

Nec Lithuaniam tantum, sed & connexa quæ *P. Albertus VViuk Koialowicz in Historia Lithuanica sic recenset:* Illud, (inquit, fine libri IX.) inter comperta habendum, quo tempore Jagello ad Poloniæ regnum evectus est, præter Lithuaniam, etiam Samogitiam, Polesiam, Podlachiam, Vitepsciam, Polociam, Smolensciam, Mscislaviam, Severiam quoq; Kyoviam, Volyniam, partemque Podoliæ; Magno Lithuaniæ Duci paruisse. Idem ostendit, hæreditariam semper Lithuaniam fuisse.

Nam

Nam poſt Italorum in Lithuaniam adventum, primùm Palæmonis familiam imperâſſe. Ultimam ejus familiæ fœminam, Kierni filiam, Zivibundo nuptam, Ducatum ei dotalem attuliſſe. Ab hoc deſcendenti Suintorogo Utenis filio infanti, Tutorem lectum Ringoldum, Ducatum ad ſe traxiſſe. Ringoldo Mendogum filium ſucceſſiſſe. Mendogo ex ſorore Nepotem Troynatum. Troynato Theophilum conſobrinum. Huic Volſtinicum Mendogi filium. Hoc mortuo, ſuffectum vivum adhuc illum, injuria pulſum Suintorogum, nonaginta ſex annorum vetulum. Huic filium Giermondum. Huic anno Domini 1275. filium Giliginum. Huic filium Romundum, huic fratrem Giligini, Trabum; huic Varimundum filium, huic fratrem Troidenum, hujus à Daumando trucidati filius Laurus, Monaſterio egreſſus, cædem parentis, occiſo Daumando, ultus eſt; ſed quietis amore, delatum ſibi regnum, transtulit in Vitenem, Curiæ olim apud Troidenem, Magiſtrum, de quo *Koialowiz*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 93, [240] - 234
PUBLIC DOMAIN

lowiz initio Libri V. ubi hæc habet: Ex
„*Vitenis* domo, cum perpetuò duode-
„cim Magni Duces in Lithuania impe-
„rassent; ne deficientibus tandem Vi-
„ris principatus aliò averteretur; fœ-
„minæ etiam ratio habita est. Trinep-
„tis hæc Vitenis erat, Anna, Stephani I,
„Polonorum Regis conjux, priùs Polo-
„niæ Regina renunciata, quàm sponsa;
„Principatum viro dedit. Interrupe-
„rat hunc veluti sacrum quendam Li-
„thuaniæ Principum Ordinem, Hen-
„ricus Valesius: Sed rediit mox Res-
„publica ad probatas sibi tot seculis ma-
„nûs, summo omnium bono. Resti-
„tuerunt rursus Lithuaniæ suos Princi-
„pes: Sigismundus III. Poloniæ Rex
„IV. Lithuaniæ Dux, ex Catharina Vi-
„tenis Trinepte, Annæ Sorore, Joannis
„I. Svecorum Regis filius. Uladislaus
„Polonorum Rex ejus nominis IV. Li-
„thuaniæ Magnus Dux II. deniq; super-
„stes nunc Joa. Casimirus Poloniæ Rex
„ejus nominis IV. Lithuanorum M.
„Dux III. Hæc *Koialowiz*, qui sua fate-
tur ex Matthiæ Stryikowski Ososteri-
tii,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 93, [241] - 235
PUBLIC DOMAIN

tii, Canonici Samogitiæ, gente Poloni, libro, Polonicè olim ſcripto, concinnâſſe.

Eoque etiam *fœminino*.

Hæc apertè fatetur *Kůialowiz* & exemplum Zivibundi, per conjugem regnantis, probat. Et verò in dubio, quæ *hæreditaria* ſunt, etiam *fœminina* præſumuntur. Uti in dubio bona potius præſumuntur allodialia, quàm feudalia. Neq; enim naturæ jure, aut gentium moribus, fœminæ viris deteriores ad regnandum habentur: Quin naturâ partus ventrem ſequitur, & originaria matris potius, quàm patris poteſtas eſt. Lex, Salicæ ſimilis, paucisſimis certè populis probatur. Ubi cunq; hæreditaria regna fuerunt, etiam fœminæ admiſſæ ſunt, vel ſaltem per fœminas cognati; niſi expreſsè leges obſtarent. Poloni Vendam dedignati non ſunt, iidem Hedwigem, nondum nuptam, coronârunt. Bohemi Lybuſſam memorant. Dani, Sveci & Norwagi Margaritam Heroinam celebrant. Quid Mariâ &

Eliſa-

Elisabethâ Anglis, ~~Mariâ Scotâ~~, Christinâ Svecâ, illustrius? Austriaci ad omnia regna & ditiones suas hâc viâ, videlicet per connubia, venerunt: Aragonia Castiliæ per Isabellam in Ferdinando Catholico; Belgium Austriacis per Mariam in Maximiliano I. Hispania per Johannam in Philippo, Maximiliani I. filio; Hungaria & Bohemia per Annam in Ferdinandi I. pòst Imperatore. junctæ sunt.

Huic Juri Sigismundus Augustus, procuratâ regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ unione, primus renunciavit.

Ea renunciatio non collateralibus, sed descendentibus, si quos habuisset, nocere potuit.

Ergo alii Jagellonigenæ, metuendum est, ne nunc quoque in Lithuaniam prætendant, & captatâ aliquando occasione per se vel per alios negotium faceſſant Reipublicæ.

Respon-

Reſponderi quidem facilè huic prætenſioni per ſe ineptæ poteſt. Specioſus tamen, & ideò periculoſus color eſt. Illud certè negari non poteſt, Joannem Svecum contendiſſe: filio ſuo, Catharinæ Jagellonidis, filio, Sigismundo, magnum Lithaniæ Ducatum, hæreditatis jure deberi; idq; *& Hier. Spanorchius in divinatione de interregno Poloniæ* refert, nempe Regem Sveciæ, ſæpe dixiſſe Magnum Ducatum Lithuaniæ, itemq; Livoniam, magis ad ſe quam ad alium, imò quàm ad ipſam Rempublicam, pertinere: Livoniam Sigismundo Jagellonico reſignatam & conceſſam, non ut Poloniæ Regi, ſed magno Duci Lithuaniæ. Hæc & multa alia in eam ſententiam ſpanorchius. Nunc verò nemo Candidatorum tam demens erit, ut Jura ſua apud eos jactet, quorum gratiâ obtinere ſceptra ſperat: Sed tamen, ſi nullus Jagellonigena ſumeretur, poſſet aliquando alius emergere, qui fluctus in ſimpulo excitaret.

Id retentâ Jagellonis ſtirpe cavetur;

Ergo

Ergo *JAGELLONIS FAMILIA, si commodè fieri posſit, retinenda eſt.*

Retinere *familias regnatrices* in Electitiis quoq; Regnis, toti Europæ ſvetum; nec aliud perpetuis ambitionum & interregnorum malis opponi, præſentius remedium poteſt. Germani quòd domui Auſtriacæ conſtanter hæſerunt, nihilo magis libertatem imminuerunt. Idem Svecis, Danis, Hungaris, Bohemis, factitatum. Nullus in Europa principatus eſt, qui non aut jure familiæ, aut voluntate ſubditorum, hæreditarii figuram induerit. Jam Jagellonum ſancta ſemper, ut *lib. 62. Thuanus* ait, inter Polonos memoria fuit. Henricus Valeſius Annæ, Jagellonidi poſthumæ, maritus deſtinabatur; ſed cum tricaretur & mox aufugeret quoque, Reſpublica cautius agendum rata, Ste„phano eam conditionem expreſsè „præſcripſit quæ (ut *Andreas Maximi„lianus Fredro., Caſtellanus Leopolienſis, „in Henrico habet*:) in Archivo eum in modum viſitur: Cum inclytæ Jagelloniæ

„niæ familiæ tot extent erga Rempubli-
„cam merita, ordines *Regni* id maximè
„curant, ut ſuorum Regum poſteritati
„cum ſumma dignitate proſpiciatur.
„Itaq; communi decreto ante omnia
„poſtulant, ut illuſtriſsimus Transſyl-
„vaniæ Palatinus Serenisſimam Regi-
„nulam in matrimonium ducat; ſi ve-
„rò contigerit, quod Deus auferat, Se-
„renisſimam Reginulam vel fatis con-
„cedere, vel ab hoc matrimonio omni-
„nò ſe alienam præbere, nihilóminus
„Dignitas Regia ſuæ Celſitudini, Ste-
„phano Bathorio, ſalva ſit. Et certe, ſi
attendimus, Reges inde usque à Piaſto
omnes, aut Piaſtigenæ, aut Piaſtidum
Mariti fuêre. Similiter à Jagellone
omnes & Piaſtigenæ & Jagellonigenæ;
aut ſaltem talium fœminarum mariti:
vel deſtinati, ut Henricus Valeſius;
vel conſummati, ut Stephanus Batho-
rius; fuêre. Wenceslaus Rex Bohe-
mice ducta Rixâ Primislai Regis Filia
anno milleſimo trecenteſimo ad re-
gnum venit. Eo mortuo Uladis-
laus Locticus Primislao, longo quidem
inter-

intervallo, gradu tamen proximus, regnavit. Cujus filia Eliſabetha Carolo Regi Hungariæ nupta eſt; is ex ea filium Ludovicum ſuſcepit. Huic Ludovico, etſi non niſi per fœminam Piaſteo, Poloni Sceptra deferre non dubitârunt. Nec mora; Ludovicus ſine maſculis liberis obit; filia Hedwig conſenſu procerum in hæreditatem tanti Patrimonii deſtinabatur; hujus matrimonio potitus Jagello, ſimul factus eſt Rex & maritus. Jagellonis nepos Sigismundus I. præter filium Sigismundum Auguſtum ἄπαιδα, reliquit duas filias, Annam & Catharinam quarum illa in maritum, Stephanum Bathoræum; hæc, Bathoræo ſine liberis mortuo, in filium Sigismundum Svecum, meritum Polonici Sceptri transmiſit. Cùm verò nunc ſtirps Sigismundi I. in Polonia defecerit, quid aliud cum æquitati, tum moribus & gentium & Polonicis conſentaneum magis, quàm ut ad proximos cognatos, id eſt, fratres, ſororesque, eorumque deſcendentes, regreſſus fiat. Scilicet: Sigismundus

mundus I. Fratrem natu maximum Uladislaum, Hungariæ & Bohemiæ Regem, sororem natu minimam, Barbaram habuit; Utriusque & Uladislai & Barbaræ abnepos est Dux Neoburgicus, mirabili profecto fatorum destinatione, in id velut ex compacto conspirantibus matrimoniis, ut plures velut canales æquitatis in ejusdem deniq; personæ alveum unirentur. Sed ne optimus Princeps, æquitate instructissimus, obsoleſcente velut necessitudine, excideret animis cognatæ gentis, providit Deus (cui enim alii tam admirandus rerum concursus tribueretur;) ut renovatâ sanguinis memoriâ, triplicato vinculi nexu, accederet cognationi affinitas, & qui Casimiro ex filio-filiâq; bis trinepos, Joanni Casimiro ex sorore affinis; idem Sigismundi I. ex fratre sororeque abnepos, Sigismundo III. ex filiâ gener esset. Idque matrimonium magno Polonorum applausu, magna lætitiâ Ulasdislai Regis, celebratum est, cujus sapiens anima, morti vicina, imminentium nobis malorum provida, Neoburgi-

burgicum Reipublicæ *ultimis Tabulis* commendavit. Fateor Piasteæ stirpis masculos superesse, Duces in Silesia Lignicenses; sed in successionibus ejusmodi, familia ultimi morientis, non primi acquirentis, attenditur. Ergo Jagellonica Piasteæ præferenda est. Deinde Duces Lignicenses à Polonis ad Silesios deficientes, Patriam ipsi deseruerunt, nunc Cæsaris potestati subsunt. Jagellonicæ quoq; stirpis fœmineæ aliqui adhuc superstites numerantur. Sed hos omnes aliæ multæ rationes excludunt. Nam vel Catholici non sunt, vel alteri subditi, addictivè, vel Poloniæ incogniti, vererem necessitudinem non renovârunt. Unus *Lotharingus* controversiam Neoburgico movere audet, sed nec Dîs, nec viribus æquis, etiamsi si cætera demas, vel hâc ipsâ necessitudinis ratione, nulla parte comparandus. Hîc *editæ cujusdam Schedæ non inefficacia verba exscribemus, cujus Author contra scriptorem quendam Lotharingum, sic loquitur:* Risu non refutatione hoc in Poloniam & Lithuaniam

„niam jus ſuccedendi Lotharingicum „excipi meretur. (*Id nempe ſummâ „imprudentia & impudentiâ ſcriptor ille „Lotharingicus jactaverat,*) Tot Gradi„bus à Polonis Principibus abeſt Lo„tharingus, ut nomen deſignandæ pro„pinquitatis non reperiat, majores tan„tùm Polonos appellare cogatur, qui„bus legibus ſi egerimus, vix quisquam „per Europam Principum, Polonigena „non erit. Et ſane prius Germania, „Italia, Gallia perreptanda eſt, ante„quam per tot familiarum mutationes „à Polonis ad Lotharingos deveniatur. „At verò quô hæc fructu jactantur, ſi „adverſario eadem omnia & majora „inſunt? Hoc tibi tuisque inepte ſcrip„tor, ignoratum ineptæ prætenſionis „audaciam fecit: Neoburgicus verò „tantæ temeritatis non eſt, ut, licet bis „ipſe, liberi quater, ſint Jagellonidæ, ul„lum in liberrimam Rempublicam jus „jactet. Hoc totum, quicquid eſt, o„mninò libenter diſſimulaturus, ut ab „omni ſpecie prætenſionis alienus eſſet, „niſi *Genealogia Lotharingica*, per ora homi-

„hominum volitans, & nunc etiam ad
„ſuccedendi Jus *tracta*, expresſiſſet à
„nobis, ut *collatione facta* demonſtrare-
„mus, immane quantum *infra Neobur-*
„*gicam* propinquitatem *Lotharingos*
„ſubſidere. Nam ut *Tabula Genealo-*
„*gica* ſub ſigno ⊙ huc ad jecta demon-
„ſtrat: Anna, Caſimiri Poloniæ Regis
„Neptis, Uladislai Ungariæ & Bohe-
„miæ Regis, filia; quæ Eleonoram nu-
„ptam Wilhelmo, Gonzagæ Mantua-
„no abaviam Lotharingi genuit; ea-
„dem genuit & Mariam Wilhelmo Du-
„ci Juliacenſi & Clivenſi nuptam; cu-
„jus filia nupta Duci Philippo Ludovi-
„co in Neuburg, avo, Philippi Wilhel-
„mi hodierni Principis Neoburgici, jus
„ei in Ducatum Juliacenſem & Cliven-
„ſem attulit; Hac igitur parte Lotha-
„ringus propinquitate vincitur; Nam
„Anna Caſimiri Neptis, eſt Abavia
„Neoburgici, proavia patris ejus. At
„eadem Anna eſt atavia tantum Lotha-
„ringi, à Patre, verò ejus planè aliena,
„quia per matrem tantùm Lotharingus
„in hunc cenſum venit. Hoc ipſo in-

„æqualis Neoburgico, cujus in hâc „ſtemmatis deductione Pater, in ſe„quenti etiam avus paternus, ſunt Ja„gellonidæ. Deinde Annæ filia, Maria, „à qua Neoburgicus; ante filiam ejus„dem Eleonorum, à qua (ſed inferiori „gradu & per plures fœminas) deſcen„dit Lotharingus; nata eſt. Nam „Maria, nata decimo quinto May anno „Milleſimo quingenteſimo trigeſimo; „& Eleonora, toto quadriennio poſte„rior, interjectis tribus aliis liberis, „Magdalena, Catharina, Ferdinando, „demum anno milleſimo quingenteſi„mo trigeſimo quarto, die ſecundo „Novembris, lucem vidit. Ex quo „patet, in hâc ſtemmatis per Uladisla„um Caſimiri IV. velut alii numerant „III. Regis Poloniæ filium, deductione, „Neoburgicum eſſe Lotharingo potio„rem (1) *primogenitura lineæ* (2) ſexu (3) „gradu.

„Et etiamſi pares eſſent, tamen hoc ipſo „ſublatâ utriusque per mutuam parita„tem propinquitatis allegatione, ha„bet Neoburgicus aliud adhuc inte-

grum

„grum æqualitate gradus par priori, in
„aliis non nullis etiam superius. Nam
„Casimirus IV. vel III. Poloniæ Rex, tum
„filium Uladislaum tum filiam Barbarã
„habuit. A filio Uladislao descendit
„Neoburgicus; &, licet non passibus
„æquis, Lotharingus. A Filia descen-
„dit itidem Neoburgicus, utrobique, &
„& per Uladislaum, & per Barbaram,
„trinepos Regis Casimiri, & ita (4) et-
„iam *duplicitate vinculi* Lotharingum
„vincit, & sic duplicatâ tum propinqui-
„tatis, tum sexus prærogativâ. Nam
„Barbaræ neptis Anna nupta est Wolff-
„gango Comiti Palatinò Rheni, Neo-
„burgici Proavo. Et ita jam patet
„& avus paternus Neoburgici
„fuere Jagellonidæ. Cum contra
„in Lotharingo per continuas familia-
„rum mutationes effectum sit, ut, etsi
„ipse vix, ac ne vix quidem, ad Jagello-
„nem genus referat, tamen pater ejus
„non sit. Jagellonides, sed mater tan-
„tum; & rursus pater matris ejus non
„sit Jugellonides, sed mater matris tan-

„tum; atq; ita nullus alius progeni-
„torum ejus Lotharingorum sit à Ja-
„gellone: longe maxima hic Neobur-
„gici prærogativa, cujus pater avusque,
„itidem Duces Neoburgici, etiam Ja-
„gellonidæ, extiterunt Accedit (5) re-
„*novatio sanguinis per affinitatem prio-*
„*rem*, dum Annam Catharinam Con-
„stantiam, Regis Poloniæ filiam, &
„sororem, Casimiri Regis abneptem;
„Neoburgicus ejusdem trinepos, in
„matrimonium duxit. Et licet ex ea
„liberos non susceperit, effecit tamen
„providentia occulte sic dirigente, ut
„saltem refricaretur eâ ratione necessi-
„tudinis memoria, & studiorum atque
„amicitiæ unio major procuraretur.
„Secuta est (6) *altera renovatio sangui-*
„*nis per affinitatem posteriorem*, dum de-
„functa Constantia, Casimiri abnepte,
„Neoburgicus, Casimiri bis trinepos, ne
„à stirpe sibi fatali discederet, conju-
„gem, itidem Casimiri bis trineptem,
„ex eadem Barbara, communi ataviâ,
„duxit. Ea est Elisabetha Amalia
„Magdalena, nata Landgravia Hassiæ,

bis

„bis à Jagellonico-Neoburgico, hic sub „signo ⊙ adjecti oculis, ipsis subjici- „tur, ut commemorare generationes „singulas non sit necesse. Hinc factum „est (7) *ut Filii Neoburgici ex Elisabetha „Jagellonica suscepti, sint quater Jagello- „nidæ*, bis à Patre, bis à matre, & quidem „æquali semper gradu, Quippe Casi- „miri Regis, toties memorati, Quadri- „nepotes, quod profectò rarum & me- „morabile, providentiam Dei, dudum „hos eventus molientem, & cuncta „præparantem, satis ostendit. Hæc *auctor illius schedæ*! Ex qua patet, Prin- cipem Lotharingicum comparari Neo- burgico duci, neq; veteris propinquita- tis, neq; novæ renovationis ulla ex parte posse. Ergo si Jagellonica familia re- tinenda est, (uti certe retinenda est, dum fieri commode potest) ad unum Neo- burgum, quando illi, (dempto Lotha- ringo remotiore) Jagellonigena com- petitor nullus est, spes omnis æquitasq; redibit, non quod ullo jure, ulla præ- tensione, ulla successionis allegatione, nitatur; tam immodestus, tam, prope

dixerim, demens non est. *Cum tamen insulsus quidam scriptor Lotharingicus, qui se Religiosum vocat, in scheda tota Germania disseminata dictitare ausus sit.* „Polonos jure teneri ad eligendum „Lotharingum, & salva conscientia ab „eo abire non posse. Nam & in Polo„niam, vel saltem Lithuaniam cum an„nexis prætendere eum posse, quia ex „Jagellonidis sit; & præterea sacram „Cæsaream Majestatem suas in Poloni„am validissimas prætensiones ei cessis„se. Quæ omnia non verbis, sed ver„beribus refutanda sunt) sed quia ratione, utilitate, amore, necessitudine, & vetere & nova, & alioqui ab Imperatoribus, Regibus, Electoribus, deducta stirpe commendatur. Ducem Neoburgicum, & totam domum palatinam, & Bavaricam, ad Carolum Magnum indubitatum genus referre, non est cur ego probem. Omnes Genealogiarum fabri: *Albitius, Hermingius, Reusnerus, Diepoldus* cæterique, magno id consensu docent, & monumenta vetera confirmant, & tabula Jagellonico-Neoburgici

burgici ſtemmatis ſub ſigno ☉ ipſis oculis ſubjicit. Ex qua id quoque apparet, æquo ferè temporum generationumque intervallo à Carolo M. & Piaſto Neoburgicum abeſſe, Imperatores eum progenitores habere Carolum Magnum, Ludovicum Pium, Rupertum; Electores Palatinos plurimos antequam rami ſcinderentur: Tum verò ex familia ejus prodiiſſe Imperatorem Ludovicum Bavarum, Reges Chriſtophorum Daniæ, & Norwegiæ, Carolum Guſtavum, Carolum item ejus filium Sveciæ; Electores vero tum Bavariæ, tum Palatinatus, ut de ducibus Bipontinis, Simerenſibus, Sulsbacenſibus, nihil dicam quæ omnia à Lotharingis longe abſunt. Nam ſupra in Scholiis prop. 57. oſtenſum eſt, Lotharingos hodiernos à Godefrido Bullionæo originem ſuam arceſſere hactenus ſolide non potuiſſe; quæ vero de Carolo Magno progenitore, tum ſuperiore ſeculo moverunt, tum noſtro per *Johannem Jacobum Piſletium* medicum redintegrarunt. *David Blondellus* peculiari opere conturbavit, & confutavit.

PROP.

PROPOS. LX.

„ Rex extraneus esto, seu
„ PIASTUS ne esto.

Piastus novus est.

Ab aliquot seculis, nempe à Ludovico Hungaro.

Omne novum periculosum, cæteris paribus, *per Prop. 13.*

Periculosum periculoso tempore fit Periculosius *per Prop. 11.* Poloniæ autem nunc status periculosus est *per Prop. 10.*

Ergo Piastus nunc Periculosissimus.

Certum est *novandis* in Poloniâ *rebus* nullum tempus præsente incommodius esse posse.

Idem aliter.

Si Piastus eligitur, *electio* sit ex *Electoribus*, earumque familia.

Electio ex Electoribus, eorumve familia, amore proprio & privati commodi ratione, per rei naturã commovetur. Amor

Amor sui & suorum vehementissimus; rationes autem privati commodi inter tot Electores diversissimæ. Ubi affectus & vehementissimi & diversissimi circa idem, ibi turbæ & plurimæ, & maximæ.

Ergo *electio ex Electoribus* turbulentissima.

Turbæ per se periculosæ, sed maximæ Polonis præ aliis gentibus, *per Prop. 17.*

PIASTUS igitur eligendus non est.

Electio ex Electoribus Simoniæ cujusdam Politicæ, nescio quid habet; periculosum est, posse aliquem sibi, & suis suffragari; etsi Electoribus in Germania permissum. Alienigenam eligendo, *vel ut [in aliena causa* ratione laborabimus, non affectu. Unde Zamoscium memorant, pulchro hoc invento Piastum ab ambitu regni summoviſſe. Petiit enim: quoniam externorum Principum, & petitorum, Oratoribus absentibus, addicendas de Rege sententias decurreretur;

retur; sic æquum esse, ajebat, ut abessent cives, qui peterent regnum; ne gratia major, aut offensa, in præsentia pararetur, libertate sentientium. Cum verò petitorem se purpuræ palam fateri nemo ob verecundiam, aut invidiæ metum auderet, omnis de incola Rege deliberatio, sua sponte conquievit.

Idem à multitudine eligibilium;

Si Piastus eligendus est, ex Nobilitate tota eligendus est.

Tota Nobilitas ducentorum millium numerum exit.

Quanto major numerus, tanto plures digni, & major factio singulorum.

Quanto plures & potentiores factiones, tanto difficilior & turbulentior conclusio.

Ergo *EX MAGNO NUMERO*, & difficilis, & turbulenta electio est.

Ergo Piastea Electio, & difficillima, & turbulentissima.

Quia

Quia pro quatuor Competitoribus sexcenti substituentur. Unde recte apud Piasecium Stanislaus Stadnicki vereri se dixit, ne hac viâ ad Regnum apertâ, auriga quoque suus Piastum ageret: Idem à multitudine eligentium.

Quanto major numerus eligentium, tanto plures opiniones, & majores singularium opinionum factiones.

Ergo eâdem ratione Piastea Electio & difficillima, & turbulentissima.

Idem ex necessitate præelectionis.

Electio Piasti rationalis esse debet, non persortem, *per Prop. 14.*

Electio rationalis optimi est, quantum possumus.

Optimus intelligi non potest, nisi comparatione cum singulis factâ.

Ergo singulorum merita pensanda sunt.

Ergo numerus singulorum nimis magnus esse non debet.

Ergo

Ergo tantus, qui nunc est, numerus (tot millia hominum, tot centuriæ familiarum) reducendus ad pauciores.

Reductio autem fit per *prælectionem* seu prædeterminationem.

Unde in senatu Venetô cum Dux eligitur, tot prælectiones adhibentur, ut ne Oedipus quidem divinare eventum posse videatur.

Ergo si Piastus eligendus est, prælectione opus est.

Prælectio nova est, ergo periculosa, præsertim hoc tempore.

Item.

Prælectio tardiorem facit Electionem.

Ergo protrahit interregnum.

Interregnum autem protrahi: periculosum *per Prop. 15.*

Ergo & *Prælectio periculosa.*

Item.

cm 1 2 3 4 5 6 7 8 9
GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 93, [262] - 256
PUBLIC DOMAIN

Item.

Si præelectione opus est, duplicanda electio est.

Omnis in Polonia electio periculosa est, maximè.

Piasti, *per demonstrata.*

Duplicatur ergo, periculum duplicatâ electione.

Ergo præelectio periculosa.

Item.

Præelectio multos excludit ante ipsam Electionem.

Excluſi exacerbantur.

Exacerbati ante electionem, exacerbantur, ante constitutam rursus Rempublicam, caputque impositum.

Eo autem tempore exarcerbari, multos periculosum.

Ergo & præelectio periculosa.

Ergo & Electio Piasti periculosa.

Idem

Idem aliter.

Si Piastus eligendus est, aut Polonus, aut Lithvanus eligendus est.

Uter eligitur, ejus familiæ hæretur, dum commodè fieri potest. *per Prop. 59.*

Ergo & genti ejus.

Ergo Regnum semel uni harum gentium delatum, potest apud eam perpetuò hærere, & certè longissimo tempore duraturum probabile est.

Ergo tanto tempore altera gens alteri subjecta erit.

Hoc vero neque justum (ob unionem æqualitatis sub Sigismundo Augusto) neque decorum alterutris, neque tutum, dum suæ gentis familias quisque evehet, alteras deprimet, neque sine bello intestino ante electionem, aut seditione post electionem, abiturum.

Ergo

Ergo Piastus eligendus non est.

Frustra Jagellonem objeceris: Tunc enim familia, Lithvaniæ ab aliquot seculis Regnatrix, assumta est. Familiæ autem Regnatrices aliis familiis implicitæ esse non solent; Ergo Jagello electus non minus Polonos quàm Lithvanos fovit. Sed qui nunc eligeretur, ex familia privata, privatis familiis plerisque illigata, eligeretur, is ergo suæ gentis familias unicè coleret. Cæterum Lithuani jure meritoque nulla autoritatis parte Polonos cesserunt. Solam loci Prærogativam permittunt; de cætero, æquali jure censentur; Nec Virtute, nec defensione Reipublicæ, nec illustrium Ducum præventu, nec potentiâ, inferiores. Unde Stephanus Rex ut utrique genti placeret, Grodnæ, in Lithvaniæ Poloniæq; confiniis, Regiam delegit. Plura de hâc difficultate *Hieronymus Spanorchius in divinatione de interregno Poloniæ* Sed etsi Polonum esse debere Regem, constitutum sit, nova inter Majorem, minoremque Poloniam pugna orietur; quarum mutuæ æmulationes

tiones & poſt Sigiſmundi Auguſti mortem, accerrimè exarſerunt, & nunc quoque quibusdam velut fibris aluntur.

Idem aliter:

Si Piaſtus eligendus eſt, aut Senator, aut Eques eligendus eſt.

Electum probabile eſt alteri ordini faviturum, alteram oppreſſurum.

Oppreſſo Senatu *licentia* invaleſcet, oppreſſo Equite *libertas cadet.*

Horum duorum Ordinum æquilibrio ſtat Reſpublica.

Licentia & ſecuritatem tollit, & Paulatim faſtidiò ſui declinat in contrarium: abſolutam dominationem.

Libertatem cadere eſt contra ſcopum Reipublicæ, *per Prop. 3. & per ſe periculoſum prop. 9.*

Ergo Piaſtus eſt contra LIBERTATEM, & SECURITATEM.

Idem

Idem aliter.

In omni Republica alia *privata*, alia *publica divisio* est.

Alia in partes *subjectivas*, alia in partes *potestativas* ut *Grotius* loquitur.

Privata divisio, est divisio locorum, & familiarum loca tenentium.

Talis divisio est, cum dicimus: ille pagus illius familiæ est, alter alterius.

Publica divisio est Jurium regiminis.

v. g. Si huic pago detur jus nundinarum, alteri pago detur jus opificiorum; tertio, jus scholarum, & Academiarum; quarto detur jus judiciorum exercendorum, &c.

Porrò ubi privata & publica divisio coincidit, seu parallela est, ibi in uno aliquo loco unoque aliquot sibi vicinarum familiarum, corpore est integrum, vel pene integrum jus Regiminis.

Quò magis hoc fit, hoc minus unita est Respublica; v. g. si cuilibet pago jus & nundinarum, & opificiorum & Judiorum

diciorum, & ſcholarum detur, eo minus enim alter altero indiget; latet ea in re ſecretius quiddam.

Vicinæ familiæ ad regimen concurrentes perpetuo converſantur, & ſibi invicem illigantur.

Ergo fit ex pluribus familiis vicinis ad idem regimen concurrentibus, in effectu una aut ſaltem paucæ.

Ergo quot ſunt regionis partes maximæ, ut familiis, ita regimine invicem ſeparatæ, & independentes; tot ſunt *mera* primaria in Republica, certis ſingula familiis faventia.

Tales in Polonia ſunt Palatinatus.

Nam *Palatinatus* eſt certus locorum ad certas familias nobiles pertinentium diſtrictus, Regimen ſibi proprium, & à Vicino independens, nec niſi ipſi Reipublicæ ſubditum, habens. Nam etſi plures non nunquam Palatinatus conſtituant unam Dioeceſin, id ad regimen civile

civile nil pertinet. Poloniæ igitur summa in Palatinatus divisio est.

Ergo ubi de eo, quod interest, familiarum Polonicarum sibi mutuo obstante agitur, probabile est, tot propè sententias fore, quot sunt Palatinatus.

Jam si Piastus eligendus est, agitur de eo, quod interest, familiarum, sibi mutuo obstante.

Nam non nisi una familia ad regnum pervenire potest; ita hæc cum illigatis sibi familiis una florebit, cæteris tandundem decedet.

Ergo si Piastus eligendus est, facile tot sententiæ erunt, quot Palatinatus.

Saltem quælibet Provincia Regem genti dure optabit.

Hæ diversæ sententiæ de re maximi momenti sunt, & in qua cujuslibet factionis summa spes locata est; & inter æquales: jure omninò, potentiâ circiter. Ergo

Ergo discordiæ, & vehementissimæ, & durabilissimæ.

Jam discordiæ inter primaria Reipublicæ membra, & vehementissimæ, & durabilissimæ, sunt exitiosissimæ & valere possunt ad dissolvendam in minutos Regulos totam Rempublicam.

Ergo Piastus eligendus non est.

Hactenus ex modo eligendi. Nunc *idem aliter* ex effectibus Electionis jam factæ.

Piastus ex Nobilitate est.

Nobilitas omnis sibi jure par est.

Idem nobilitati imperabit.

Ergo paulo ante æqualibus sibi.

Æqualibus imperaturo mutanda conversationis morumq; ratio.

Qui mores mutat, is nova ac insolita tentat.

In novis tentandis rarò medium tenetur.

Ergo si parum mores mutabuntur, *fami-*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 93, [270] - 264
PUBLIC DOMAIN

familiaritas contemptum pariet; sin nimium, *severitas* odio erit.

Utrumque in Republica damnosum.

Ergo *Piastus periculosus est.*

Idem aliter.

Piastus, quisquis est, ex nobili Rex factus est.

Neque enim quisquam in Polonia majus quiddam natus est, quam Nobilis; cætera omnia industria, aut fortuna acquiruntur.

Ergo ex imo cive summus.

Nam Nobiles meri sunt imi, in Cives in Republica, quia, qui Nobiles non sunt, ne cives quidem sunt, sed aut peregrinorum aut servorum jure censentur.

Qui ex imo ad summa surrexit, ægre fert cogitari priorem humilitatem.

Ergo prioris æqualitatis conscios è conspectu libenter amovet:

Congressu abstinebit, vitabit aspectum, quæsitâ specie aulâ ablegabit perpetuos istos, tacitos licet, præteritorum admonitores.

nitores. Nemo inſperatò magnus prioris fortunæ teſtem circa ſe libenter videt; cujus omnes nutus exprobratorios putat: Honoratum honorantemq; ſubitæ mutationis pudet; ex pudore contemtus, hinc illinc odium naſcitur.

Libenter ergo hominibus novis Aulam implet.

Qui ſcilicet, niſi præſentis ſplendoris meminiſſe non poſſint; quos non inſpectores ſibi additos vereatur, ſed pronos laudatores amet.

Ergo veteres æqualesque offendet.

Hinc diſſidiorum uberrima ſeges.

Suſpiciones, invidiæ, odia, murmura, querelæ, pœnitentia, motus.

Piaſtus ergo periculoſus eſt.

Hinc præclari Heroës, columina patriæ nolunt hæc de ſe vel nunc metui, vel aliquando ſentiri; Sciunt naturam humanam ſibi nimium fidere, multos qui ſeveriſſimas regendi regulas ſibi præſcripſerant, cum recepti ſunt in hunc deliciarum campum, dulcedine potentiæ victos, affectibus habenas reliquiſſe

Satiùs

Satiùs ergò putant, partam ſemel gloriam, venerationem, caritatem civium, retinere; quàm altiora affectando, ſi ſpe cadant honoris; ſin perrumpant, amoris, jacturam pati. Hunc eorum ſenſum ſapiens aliquis omni regno potiorem judicabit.

Idem aliter.

Piaſtus rerum Polonicarum ſuper extraneos peritus erit.
Ergo & defectuum Polonicorum.
Ergo callebit modos nobis nocendi.
Ergo & minuendi libertatem.
Quod quis callet, id facilius poteſt.
Ergo Piaſtus facilius extraneo libertatem minuet.

Idem aliter.

Piaſtus Polonus eſt.
Polonus gratior Polonis.
Qui gratior is minus ſuſpectus.
Qui minùs ſuſpectus, minus impeditur.

Qui minùs impeditur, facilius destinata efficit, seu potentior est.

Ergo *Piastus facilius Extraneo libertatem minuet.*

Idem aliter.

Piastus intestinus est.

Intestinus est vicinissimus *supra Prop. 53.*

Qui vicinissimus, idem potentissimus supra *dicta Prop.*

Quo quis potentior, eò periculosior libertati, *per Prop. 51.*

Ergo Piastus periculosissimus libertati.

Idem aliter.

Piastus familiam in Polonia habet, & probabiliter potentem.

Imo plusquàm uni familiæ sanguine, affinitate, amore, meritis, gratitudine, spe junctus est.

Familia sua cuilibet fida est.

Regulariter; ob spem communem, & natura-

naturalem in consanguineos inclinationem.

Qui multos, & potentes amicos seu ministros fidos habet, is potens est, *per Prop. 52.*

Ergo Piastus in Polonia potens.

Idem aliter:

Familia cuilibet sua ministros sine sumtu præbet.

Quo quis plus sine sumtu potest, hoc est potentior.

Idem aliter:

Piastus ministros fidos indigenas habet, suam nempe familiam.

Contrà extraneus in Polonia ministros in omnem eventum, etiam usq; ad opprimendam Rempublicam, fidos non habet. Extraneos ergo solos fidos habet. His verò munera Reipublicæ conferre non potest; ergo suis privatis sumtibus sustinere cogitur.

Indigenis conferre officia & beneficia potest.

Ergo hos potentes facere ſine ſuo ſumtu poteſt.

Jam Piaſti familia per ſe potens erit.

Qui per ſe potens præterea amicos habet; eosq; illiminate poteſt facere potentiores ſine ſumtu ſuo, is potentiſſimus eſt.

Piaſtus facilè ſuæ familiæ hominibus ſenatum implebit; in hos officia, beneficia, præfecturas transferet; per hos ad Regem aditus patebit; His ſupplicandum, his etiam adulandum.

Piaſtus ergo in Polonia potentiſſimus eſt.

Idem aliter:

Si Piaſtus Rex eligitur, familia ejus ſit cæteris potentior tanto, quanto Rex eſt potentior Nobili.

Quantum potentiæ accedit, æqualitati decedit.

Quantum æqualitati, tantum libertati, *per Prop. 4.*

Tantum autem decedere, quanta eſt Regis

Regis ſupra Nobilem eminentia; eſt maximum decedere.

Ergo Piaſto Rege electo maxima decrementa libertas patietur.

Idem aliter:

Familiæ Regiæ dum fieri commodè poteſt, hærendum eſt *per Prop. 59.*

Quæ, ſi potens eſt, non poteſt id ſolùm, ſed & debet fieri, etiamſi commodum non ſit:

Maximè, ſi inteſtinè potens eſt.

Piaſtéa inteſtinè potens eſt, & quidem firmata.

Inteſtine potens ſummis viribus obnitetur, ne rurſus deſeratur.

Ergo in eo conflictu vel obtinebit, & Reſpublica victoriæ præda erit;

Vel ſuccumbet, & ſequetur ipſius familiæ excidium.

Piaſtus igitur ſine excidio familiæ deſeri vix poteſt.

Difficile verò & periculoſum ejus arboris

excidium, quæ à tot ſeculis apud nos radices egit. Multum, credite telluris, multum circumjacentium herbarum ſimul evelletur.

Ergo Piaſtus eligendus non eſt.

Sanè prudentiſſimus Fredro monet; vix alia ratione caveri poſſe libertati, quàm ſi Piaſto electo lex feratur, ne unquam ex una familiâ duo Reges continui ſumantur. Sed agnoſcit ipſe, ſurgentem hîc alium modum quem & Gordium vocat, crebritatem ſcilicet tumentium interregnorum, & perpetuæ ambitionis malum, ſi axioma illud evertatur, quod ſupra demonſtravimus *Prop. 59.* de *Regia familia quam diu fieri poteſt, non deſerenda.* Ut taceam, ubi mutatio familiarum regnatricium crebra eſt, ſingulas dum proximæ ſunt poteſtate, non diu duraturâ, effuſiſſime uti, exhaurire ditionem, atterere ſubditos, plus privatis ſordibus, quam publicis ſumptibus dare; ita in Rempublicam animatos eſſe, ut conductor in domum non ſuam quam ſatis habet ſe adhuc inhabitante nondum corruere. Hæc

Neopo-

Neǫpotismi vitia tum Roma nobis, tum interdum Episcopi Germaniæ, crebris exemplis confirmant. Is ergo futuræ in familia Regia potentiæ metus, si cætera omnia abessent, solus sufficit absterrendæ à Piasto genti. Sigismundus Augustus cum incolâ fœminâ, in sua Republica nuptias contraxerat, quæ res maximis motibus animorum excepta est; alii præjudicium populi inclamabant, alii divortium petebant. Non tam quod insicia Republica conjugium initum esset, quam quod metus erat, ne Rex qui incolam fœminam duxisset, eo nexu, paratis intra Rempublicam è potentioribus quibusvis, partium fulcris, electionem liberam & cum eâ libertatem, sub unius traheret domûs cultum. Etiam Stephanus Bathorius suspectus habitus, quod Zamoscium magni nominis civem affinitate sibi illigasset. Si affinitas cum indigena exosa fuit, quid de cognatione dicemus? Sed & affinitas hanc sequetur. Nam cognati Regis à Matrimoniis Polonicarum familiarum prohiberi certè non possunt.

Ergo his instrumentis usus Rex, opportunissimas quasq; familias sibi devinciet. Extranei Principis principali domo nati, consanguinei, nec facile Nobilis ambibunt conjugia, & si tentent, communi reclamatione excipientur.

Idem aliter:

Regum indigenarum nati certe Principes erunt.

Ergo intra promiscuæ Nobilitatis titulos non stabunt.

Polonis hæc ambitio admodum invisa. Poloni aliquot proceres, Sigismundo I. Viennam comites, oblatos à Maximiliano Cæsare Principum titulos, honestè excusarunt. Radsivilii causam dicere coacti sunt, quod accepissent. Rectè „*Fredro:* Hic Regis frater, alter avun„culus, ille Nepos; speciosa, credite „mihi, nomina & tituli, & nisi ipsi, regii „sanguinis fiducia ultra cæterorum „ascendant paritatem, sublevabuntur à „cæteris, spontaneâ voluntate se sub„mittentibus singulis, ut Regiæ Domûs captetur favor. Ergo

Ergo æqualitatem familiarum exuent.

Maxima muncra quaſi jure quodam ſuo perpetuò affectabunt, cum exteris principibns matrimonia inibunt; veneratione regii ſanguinis cedent illis alii, aut cedere cogentur; Rege Novo exemplo eorum, ſuis poſteris proſpiciente.

Iidem, ut dignè alantur, erit ex Reipublicæ Majeſtate.

Jam ipſa familia per ſe regias opes non habebit.

Quod ſecus eſt in Principibus extraneis, principali domo natis, & per ſe ſubſiſtentibus. Quæ etiam ratio eſt, cur Candidatus non egenus eſſe debeat.

Ergo proſpiciendum eis à ſola Republicâ aut perpetua proviſione, onerosâ futurâ, ſi dice res duret, & capita demum multiplicentur.

Aut tum conferenda illis munera & beneficia.

Aut permittendum ut coëmant ſibi territoria.

Quæ

Quæ omnia & onerosa & libertati extremè periculosa, & legibus partim contraria.

Rectè *Fredro: ultima liberorum Comitiorum illa fore, quibus Piastus eligetur.* Quibus unus omnibus, civis gente, dignior declarabitur; Summum hactenus ac propè unicum servandæ libertatis arcanum, *extraneus Rex* fuit.

Idem aliter:

Piastus Territorium privatum in Polonia habet.

Regem territorium sibi emere legibus Regni vetitum.

Cum Constantia Regina, posterior conjux Sigismundi III. Regis, agrum Zivecensem inter fines Poloniæ, Silesiæ & Hungariæ Situm, DC. millibus florenorum nostratium à Joanne Comoroskie emisset, cavit in posterum Respublica Comitiis anni 1631. ne esset potestatis Regiæ Domus, quærere intra regnum terras hæreditatis.

Ergo habere, visum periculosum.

Sed

Sed nec Piasteæ domui hoc prohiberi commodè potest, cur enim tam multis familiis Regi cognatis, non ab eo descendentibus, commercia interdicantur? cur deterioris sint quàm alii cives, conditionis? jam si cognatis Regis jus est territoria sibi comparare, quis dubitet his instrumentis usurum Regem, his pecuniam, pacta sibi redituum parte, retenti s pignori agris, suppeditarum. Territoria sunt Reipublicæ fundamentum. Hæc in promiscuæ Nobilitatis familiarumque indiscriminatim manibus esse decet. C. Licinius Stolo Romæ legem tulerat, ne quis civis ultra modum sibi agros compararet. Interest æqualitatis, idem in Polonia constitutum esse, ne parvæ familiæ paulatim solæ emineant, structo ad regnum gradu. Cæterum qui territorium in Polonia grande habet, quid aliud quàm sine nomine Princeps est? Summa immunitas, summa prope in suos potestas, jus armorum, tuendorum finium, extruendarum arcium. Idem jus haud dubiè & Regiæ familiæ erit. Nam quod

habet,

habet, non deponet. Jam Regem privatim arma arcesque in ſua, aut quod idem eſt, ſuorum poteſtate habere, quis tutum putet libertatem quærentibus? Erit forte qui credat, his omnibus præcaveri poſſe, ſi lege latâ conſtituatur, ne Regis cognati ad officia, ad beneficia, ad emenda territoria, admittantur. Sed hoc jure fieri non poteſt. Cur enim ego plectar, cur jus omni Nobili commune omittam, quia forte fratris mei filius Rex factus eſt? In deſcendentes talia feri jure poſſunt, non in collaterales Regis. Sed ſi collateralibus permiſſum, idem metus reſtat. Deſcendentes verò, quibus talia negantur, aliis modis, ut ſuprà dictum, cum dignitate alendi ſunt, quod ſine extra ordinariarum collationum immani cumulo, auctâ Regia ſobole, fieri non poteſt.

Ergo PIASTUS periculoſus.

Idem Amplius:

Piaſtus multis modis periculoſus eſt.

A novitate, à multitudine eligentium à multi-

multitudine eligibilium; à coincidentiâ eligentium & eligibilium, à necessariæ præelectionis tarditate, duplicitate, exacerbatione intempestivâ excluſorum, orituro dissidio inter Poloniam & Lithuaniam, Minorem & Majorem Poloniam, inter ordinem Senatorium & Equestrem, inter Palatinatus. Quia paulò ante æqualibus imperabit, quia æqualium conversationem declinabit, quia nostros defectus callet; minus ſuſpectus facilius obrepet Inteſtinus habet fidos ministros & multos & potentes, & sine sumtu; quia deseri sine excidio familiæ non potest; æqualitatem familiarum exuet, principum titulos fastumq; invehet, Territorium in Polonia & habet privatum, & augere potest, contra leges Regni; deniq; ut hoc quoque addam Cosaccis invisissimus erit, quorum metuenda nunc potentia Nobilitatis imprimis odio flagrat, sumto ex nobilitate Regi nunquam conciliabitur, hunc indulturum omnia cognatæ nobilitati credet; Externum quemvis facilius feret.

Multæ

Multæ cauſæ ex diverſis capitibus ortæ in ſe invicem ducendæ ſunt.

Quia una tota in quamlibet partem alterius agit. Et ita una per alteram multiplicanda eſt v.g. periculum ex numero eligentium ducatur in periculum ex numero eligibilium, quia eligentes & eligibiles ſi Piaſtus eligendus eſt, coincidunt; & fingantur eſſe tantum mille Electores, ita erunt etiam mille eligibiles, & per conſequens periculum diſcordiarum erit, ut quadratum de mille, ſeu ut millies mille, adde ſupra *in Prop. 53.*

Ergo productum periculi erit factum per multiplicationem continuam cauſarum in ſeſe invicem.

Tali verò continuâ multiplicatione incredibilis ſumma oritur.

Documento poteſt eſſe progreſſio Geometrica.

Ergo Piaſtus ſummè periculoſus eſt.

Ergo PIASTUS eligendus non eſt.

Fuſius in Piaſtum diſputaſſe videbimur ſed ſpecioſis: indigenatus, patriæ, Regni

gni nominibus, detrahenda larva, nudanda periculositas fuit. Sapientissimos quosq; gentis consentientes habemus, cùm olim Andreas Kostka Sendomirienſis, & Andreas Tenetzinskius Belzenſis, Palatini, post Henrici Valesii fugam multorum oculis vocibusq; designarentur, & Kostkam insciũm ipse Turca per legatum commendaret, egregiè illi Duum-viri, perinde indignati, ac si fides in patriam sua sollicitaretur. Gratias habere se, inquiebant, Equitibus, apud quos eo in pretio virtus sua haberetur. Cæterum nolle ea electione Rempublicam periclitari; Tutius quæri in externo solo principem, quàm domi cum tumultum & invidia eligi; donare se privatam fortunam & ambitum Reipublicæ saluti, sufficere sibi honores, cum forent Senatores, ac Regum Electores, magni profectò viri, vel ideo regno d gni, quod in ea fortuna moderatius agerent: felices animæ & æternâ historiarum luce dignæ quæ quod in humanis summum habetur, tam constanter spreristis, quæ perire occasionem

nem vobis, quam patriæ tranquillitatem maluistis. Quæ pro Piasto afferuntur, pauca & exigua sunt scilicet, melius Polonica callere. Fateor, sed quantum satis est, regendæ Poloniæ, facilè Rex quivis discet, modo Senatorum sententias audiat; quantum opprimendæ sufficiat, nunquam. At indigenæ artes & auxilia diu parata & meditata. Extraneus nobis Pædagogis indiget, Piastus nimis gravis Pædagogus nobis erit. Addunt & linguam nosse. Sed ea res exiguæ semper Polonis curæ fuit; adde supra *Prop. 27.* At exteros invehet? id verò severissimis quæsitissimisq; legibus frænandum est; Et verò quid poterunt illi, si ad officia, ad beneficia, ad emenda immobilia non admittuntur? Sustentandi igitur regiis sumptibus erunt. Hoc Henricus Valesius (qui etiam proventus mensæ Regiæ inusitata prodigalitate dilargiebatur) hoc Condæus fortè aliquis, Gallico argento affluens, poterit; Neoburgico aut simili, opum non immodico, majus in parsimonia præsidium erit. At

regni

regni reditus extra regnum convertet? Imò contrà, conciliandi in regno animi erunt. Piastus contra satis domi firmus maximis sumptibus factis in pari cæteris Principibus authoritate locare sese, certos per omnes aulas externas homines de novo sibi parare, denique tanto plus splendori apud exteros dare debet, quanto magis delenda illi hujus militatis pristinæ memoria est. Addo & de sessione controversiam à Regalibus familiis Piasto motum iri. Gravabuntur novo & inopino Principi concessum hactenus Poloniæ Regibus locum dare. Prærogativam Principum non à Republicâ tantùm, sed & ipsorum familia æstimandam dictitabunt, hanc familiam novam, inolitis aliis, & regnandi vetustis inferiorem esse. Respublicas licet potentissimas, semper Regibus cessisse, Moscum certè Regem literis suis dignum putasse, at Reipublicæ tantum per Consiliarios scripsisse. Dignitati ergo tuendæ, conciliandis aulis, fabricandis matrimoniis, colendis amicitiis, novi de integro

tegro ſumtus requirentur. Nihil ab anteceſſore actum, ad ignotæ obſcuræque hactenus ſtirpis Principem, pertinebit; At ſi Princeps eligatur, cui familiæ, res, authoritas, firmata ſunt, facilius continuabuntur vetera, quàm nova ſtruentur. Objiciunt & locum Deuter. XVII. v. 15. ubi Iſraelitæ Regnum fratri ſuo dare jubentur, ſed cui alii darent, cum aliæ gentes idololatræ eſſent, & ex Regia Iſraelitarum ſtirpe Meſſias expectaretur? Addunt lege regni peregrinos excludi; Sed qui Electori Brandenburgico, Duci Saxoniæ Lauenburgico, Principi Tranſylvaniæ, Palatino Moldaviæ, tot etiam privatis Jus indigenatus dedimus; cur non novo Regi demus? Extremum, & in vulgus efficacisſimum quod obtendunt: *Honor gentis* eſt, hunc contemtui Exterorum, poſteritatis ludibrio, ſannis politicorum exponi & proſtitui, dum Regem aliunde petentes fateamur nobis viros domi deeſſe, ſed hæc etſi vera eſſent, non tamen inanis rumor ante ſalutem ponendus erat. Nunc nihil falſius-

sius. Plerique prudentiam Polonorum, & in conservandâ libertate concordiaque artificium laudant, extranei Regis instituto turbis & ambitione se exonerâsse fatentur; non egestate, sed copiâ capacium sceptri virorum delectum auferri agnoscunt. Non tam nobis propensa in eos voluntas, quam illis ambitus abest, ipsa meritorum fœcunditate confundimur, & implicantibus sese ramis radicibusque arborum tam propinquarum, novo jam pœnæ genere virtutis abundantiam luimus. At soli Poloni, inquies, hoc tam mirabili axiomate utuntur; Ego verò, nec si soli uterentur, mirarer; raro libertatis gradui, quo Civis Polonus omnium Orbis Rerum publicarum civem eminet; singularis quædam conservandi ratio debebatur. Nunc verò constat nihil à ratione alienum, nihil novum, nihil ignotum aliis gentibus tentari. Ostendit hoc autor volitantis passim schædæ de Piasto, quem aliquandiu, ne actum agamus, quia in paucorum manibus est, exscribemus. Præclaro

„claro illi consilio inquit, petendi ex-
„rinsecus Regis hactenus non immi-
„nutam libertatem debemus. Is pa-
„rum peritus rerum nostrarum nobis
„pædagogis indiget, nihil occulti mo-
„liri potest, omnes ejus motus senti-
„untur, omnia consilia emanant, in
„hunc attenti arrectique sunt omnes,
„fidum in regno neminem habet, nisi
„quousque liberalis aut dignus est, ma-
„jora molientem cuncti destituunt.
„Neque familiam in Polonia latè fu-
„sam potentemque & vera caritate sibi
„devinctam habet. At Indigenam Re-
„gem magna Polonorum pars non si-
„cte amat, ut sanguinem suum, ut cer-
„tum fautorem, ut portitorem majo-
„ris felicitatis; his tutò credere sensus
„suos, per hos arcana negotiari potest,
„sciunt, si hæc prodant, suas spes, suas
„felicitates prodi. Contra Rex ex-
„ternus amicos in Regno fidos non in-
„venit parare sibi largitionibus cogi-
„tur, ita vires enervat, Thesaurum ex-
„haurit, opes atterit, quas ad Tyranni-
„dem constituendā convertere posset.

Amicos

„Amicos tamen fidos ne sic quidem
„polliceri sibi potest; cùm primùm a-
„lia se spes aperiet; cùm sentient Re-
„gem liberalitati terminos statuere,
„alium alii præferre, majora moliri,
„primi inter justos proditores erunt;
„Familiam verò suam, ad opes, ad of-
„ficia, ad beneficia evecturo, capitula-
„tiones, Juramenta, clamores obsta-
„bunt; indigenæ autem Regi poni ta-
„lis obex non potest. Quid enim? in-
„quiet, an familia mea deterioris con-
„ditionis erit; Poloni sunt, vester san-
„guis sunt, quibus etiam, me non ele-
„cto, apertum ad honores iter erat.
„Cur illis felicitas mea fraudi erit, cur,
„quod solatio esse debet, in perniciem
„cedat? His obsecro, quid reponemus?
„Nihil injustius, nihil durius, quam
„nobilissimas familias & de coronâ o-
„ptimè meritas, Regem nobis præben-
„tes, à publico jure, ab aditu honorum,
„ab unicâ Polono Patricio felicitatis
„summæ spe ideò tantùm excludere,
„quia Rex ex iis sumtus est. Quis hâc
„conditione Rex esse velit, cui alendæ
privato

„privato sumtu totius familiæ, latissi-
„mè sæpe fusæ, onus incumbat; & vix
„sibi sufficientibus Regiæ mensæ pro-
„ventibus, suos, velut in mediâ patriâ
„exules, sustinere cogatur. Jam si qui
„cognatorum Regis ad rapinas propè
„necessarias, ad varias artes, favore Re-
„gis subvecti convertantur, parata ex-
„cusatio erit; agendum erat aliquid,
„inquient, quo aleremur. Quis, in-
„quam, hâc conditione Rex esse, aut
„Regem ex suis fieri velit? quàm servile
„hoc erit, ab innatâ eum caritate suo-
„rum abstrahere, & pro laboribus hanc
„mercedem tribuere, ut suis ipse ne-
„cessitudinibus frui non possit. Ergo
„relinquenda ei potestas illibata suos
„evehendi, quam nativitas, indigena-
„tus, nobilitas, merita majorum, tri-
„buerunt. Cessantibus verò legibus,
„capitulationibusque, quid jam non
„per suos Rex aget, quò non aspirabit,
„quid non animo volvet, quæ non in
„familiam transferet? Sentiemus ulti-
„mam libertatis nostræ eam diem fuis-
„se, quâ Regem ex nobis proclamavi-
mus,

„mus, & deceptos nos externâ honoris
„ſpecie, inani patriæ prætextu, jucundâ
„nimis omnibus, dum omnes ſperant,
„eventu pleriſque acerbâ, dum unus ob-
„tinet, Piaſti voce, ſerò agnoſcemus.
„Ita libertas, ſecuritas, tranquillitas, tot
„vigiliis ſudoribusque hactenus ſerva-
„tæ funditus interibunt. Et profectò
„ſi non *electus* ſaltem *electio* eas evertet.
„Quid? totne familias, potentia, virtu-
„te, meritis, æmulas, æqualeſque re-
„pentino ſtupore occupandas credi-
„mus? uno ne momento ſe ab illo fa-
„ſtigio, illa paritate dejici patientur?
„quam majores, fuſo toties ſanguine,
„tot triumphis laboribusque pepere-
„runt. Indigni profectò illâ Polonicâ
„generoſitate illis Spiritibus Orbi na-
„tis, ſi commune virtutis præmium uni
„nullâ parte ſe digniori, niſi & inferio-
„ri porrigi patiuntur; quod miſerabi-
„lius erit ſpectaculum, quod deformius
„& pudendum magis, ante æqualem,
„fortaſſe & diu ſpretum, proſterni, ven-
„tilatam tam diu inter familias præro-
„gativæ quæſtionem, una die, turpi præ-

„terunam, omnibus exitu, definiri.
„Fateor, mihi meisque, viliſſimæ licet
„parti Polonorum, *inquit ſcriptor ille*,
„ad triſte ſpectaculum conſtantiam non
„duraturam. Ite ô Poloni libertati
„exequias, cum primum unius familiæ
„lanx pondus cæterarum exibit, & di-
„gnior civis gente cenſebitur. Nec Pia-
„ſtum intueamur, alia tunc tempora, a-
„lii mores erant, neque nunc ab aratro
„Dictatores, â vomere Reges petuntur:
„ſed age, patiamur ad concurſum &
„*Piaſtum* venire. Quis eſt verò Piaſtus
„iſte, nonne multiceps nomen, dictu
„quàm explicatu facilius. Hoc enim
„admiſſo pro decem Candidatis ſexcen-
„ti ſubnaſcentur, & paucæ literæ infini-
„tum turbarum, turbatorumque ſyrma
„trahent. Prodeat enim Piaſtus ille
„centum-geminus, præconis voce cite-
„tur, mittat ad comitia Legatos ſuos.
„Aveo videre illum tam audacem, tam
„etiam pene dixerim, impudentem ci-
„vem, qui inter Candidatos nomen ſu-
„um profiteri primus audeat, qui cæ-
„teros ſibi ſubjici poſtulet, qui ſuam
virtu-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 93, [296] - 290
PUBLIC DOMAIN

„virtutem, junctis cæterorum omnium
„meritis præponderare contendat, nec
„turbatæ patriæ infamiam, execratio-
„nem posterorum, invidiam familiæ,
„obtutum equalium, aversos seniorum
„oculos perfrictâ & ferreâ fronte verea-
„tur: qualiscunque autem erit, frustra
„erit, quisquis tantæ audaciæ, tam ma-
„li exempli ductor erit. surgent conti-
„nuò innumeri alii, clamoribus, convi-
„tiis, increpationibus, hominem ob-
„tundent, suorum quisque majorum
„virtutes memorabit, tanget suas, ne-
„gabunt se quicquam cessuros; non in
„eam se spem à majoribus genitos, ut
„æqualis paulò antè, nunc subitò eve-
„cti, & insperatâ fortunâ ebrii fastidia
„patiantur. Mox ab odiosa virtutum
„comparatione ad alterna convicia
„præceps sermo ibit; protrahentur fa-
„miliarum dedecora longâ nocte aut
„oblivione abdita, nemo in tanta con-
„troversia mutus erit; vident ab ejus
„diei fortunâ suam salutem & existima-
„tionem pendere, amicissimæ paulò
„ante domus non minoribus nunc o-
„diis distrahentur.

„Nec Regna ſocium ferre, nec tædæ
„ ſciunt.
„ Eæ verò quæ dudum vel diſſidebant a-
„pertè vel occultis odiis gliſcebant,
„ſpatium campumque irarum nactæ,
„in mutuam perniciem effundentur;
„Gladiatorium Orbi ſpectaculum,
„Chriſtianorum miſerationi, Barbaro-
„rum voluptati dabimus; ſatis late pa-
„tens planitiei noſtræ amphiteatrum
„erit. Tot mala illi uni imputabuntur
„qui Princeps, cæteris audaciæ ſe Du-
„cem præbuit, in hunc odia incum-
„bent, fructus aliis cedet; infamis per-
„petuò, & vel ſine edicto damnata ejus
„memoria erit, at alii fractam ipſius pe-
„riculo glaciem ſibi lætabuntur. En
„faciem Piaſti, en ſentibus obſitâ ſpem
„ſummæ poteſtatis! hoc præmio cer-
„tandum, nihil inter abrupta & ſum-
„ma, medium erit, vel nemo prodire,
„nemo ambire audebit, vel uno ſilen-
„tium audaciâ rumpente, omnes jam
„ortis competitoribus, nemo cuiquam
„aſſentietur, omnes omnibus ſuſpecti
„erunt. Miſera Reipublicæ toga in
innu-

„innumeras lacerãtium partes ibit, non
„à Medea frater toties sectus erit, nec
„quæ *Metium in diversa quadrigæ ab-*
„*stulerunt* tot in vepribus particulas
„corporis hærentes reliquerunt

„ Bella horrida bella
„ Et Wartam multo spumantem san-
„ guine cerno.

„ Omiseram patriam, si filiorum tuo-
„rum præda eris; miseriores nos, si in
„hæc tempora reservamur! At vicinis
„duraturamne quietem speramus?
„Prussia Livoniæ fortunam sequetur,
„Cracovia repetet illas manus quibus
„ægrè evolata est. Sed hæc tolerabilia,
„nisi Barbaro hoste cingeremur! Quã
„difficulter Mosco Vilna extorta est!
„Patriæ olim murus Cosacci, nunc rui-
„nam stragemque in nos verterunt.
„Turcarum & Tartarorum non licet si-
„ne horrore meminisse, laborabit Euro-
„pa nostro periculo, & cæteræ gentes,
„sive Barbari immineant periculo suo;
„sive nos nobis compendio movebun-
„tur. Illis salus nostra, his quies præ-
„textui erit. Nec dubium est, distra-

„ctis eligentium ſtudiis externos auxi-
„lio, ſive ab imbecillioribus, ſive etiam
„ab utrisque vocatum iri. Quod lon-
„ge periculoſius, quam ſi extraneus ſuâ
„ſuæque factionis potentiâ, ſceptra no-
„bis extorquere moliatur. Nam in
„hunc omnes ſtabimus, at indigenum
„foventibus magna noſtri pars milita-
„bit. Quid ſi non duæ, non tres, ſed
„decem, ſed tot ſententiæ dicantur,
„quot Palatinatus ſunt? quis miſeria-
„rum finis erit? in minutos regulos i-
„bimus, vetere noſtræ gentis fato; ſin-
„guli frangi faciles, vinculo ſemel ſo-
„luto, cuilibet hoſti cedemus; & cum
„nos prius ipſi fatigaverimus, mutuis
„vulneribus laſſi, Cadmeæ pugnæ, &
„fraternorum odiorum exemplo ſemi-
„neces in terram procumbemus. Sed
„abducenda â tam triſti imagine cogi-
„tatio eſt.

„ Nempe animus meminiſſe horret,
„luctuque refugit. Illud oſtendendum
„reſtat, neq; infelix Polonis, neque in-
„uſitatum aliis exteri Regis remedium
„fuiſſe. Cracum illum qui laceratam

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 93, [300] - 294
PUBLIC DOMAIN

„XII. Palatinorum discordiis Rempu-
„blicam Principis nomine, sub imperi-
„um accepit, antiquissimi Poloniæ an-
„nales memorant, ex Romanâ Grae-
„chorum gente fuisse, ex quibus hau-
„stam narrationem *Dlugossus* magnæ
„authoritatis libertatisque scriptor no-
„strâs in suum opus transtulit. Nam,
„si Romanus non fuit, fortè tamen ex
„Romaniâ fuit, id est ex Thracia Ro-
„manis Constantinopoli Imperatori-
„bus, parente. Undecunque autem
„fuerit, certè peregrinus fuit, quâ de
„re, ac de Craci laudibus fusius *Andreas*
„*de Pilca Corycynius*, *Castellanus Visli-*
„*censis in perspectivâ Politicâ disseruit.*
„A Cracô ad Piastum indigenæ fuêre;
„ultimus Piastidarum Casimirus ma-
„gnus fuit. Hujus ex sorore Nepos,
„Ludovicus Hungarus successit, & ab
„eo tempore externis Regibus, suis le-
„gibus, Polonia usa est; felici tempe-
„ramento, ne Tyrannide Rex, ambitio-
„ne cives, perverterentur. Nam ut de
„anteriore, Wencislao Bohemo, Rixæ
„Primislai posthumi, filiæ, conjuge, e-

Signatur: Leibn. Marg. 93, [301] - 295
PUBLIC DOMAIN

„jusque filio Ludovico nihil dicam;
„Ludovici tamen Hungari filia Hedwig
„præteriri non debet, quæ pronubâ pro-
„videntiâ non magis Jagelloni se, quam
„Lithvaniam Poloniæ, Barbarcem Ec-
„clesiæ despondit. Videtis Virginem
„peregrinam, peregrino nuptam, tan-
„tum Poloniæ adjecisse, quantùm â
„multis sæculis fortissimorum viro-
„rum dextræ non potuerunt. Eadem
„nobis profectò Hungariam Bohemi-
„amque copulâsset & copularat dudum
„in Uladislao filio, Varnensi clade heu
„plus satis noto.

„ *Sed nimium Polona propago*
„ *Visa potens superis propria hæc si do-*
„ *na fuissent.*

„ Ultimus Jagellonidarum Sigismun-
„dus Augustus.

„ Ergo ad exteros rursus itum. Hen-
„ricus Valesius electus, sed non obscu-
„râ ducendæ Annæ Augusti sororis,
„conditione. At ille

„ *Eripuit mox se se & vincula rupit.*

„Hunc Stephanus Transylvanus exce-
„pit, sed ut impleret, quod à priore spe-
raba-

„rabatur tantum matrimonium Annæ
„Inclytus bello Princeps, ditionis no-
„ſtræ longè lateque propagator. Ste-
„phano orbo ad alteram ſororem Au-
„guſti, Catharinam, reſpectum eſt. Hu-
„jus filius Sigismundus III. à nobis ele-
„ctus, poterat grande Imperium ſep-
„tentrionis condere, Turcicæ potentiæ
„ſuppar; præſertim cum Uladislaum
„ejus filium, Moſci etiam ipſi ad Scep-
„tra vocarent. Videtis, populares
„quantum peregrinis Regibus debea-
„mus, aut *ſi mens non læva fuiſſet*, potu-
„iſſemus debere: ſed tamen etiam il-
„lud obſervandum eſt, nativitate ma-
„gis quam ſtirpe peregrinos à nobis
„ſumtos eſſe, &, ſi rem acuratius penſi-
„tes, Piaſti Jagellonisq; ſanguinem huc
„usq; in noſtro ſolio durâſſe. Wen-
„ceslaus Bohemus, rixam Primislai
„poſthumi filiam duxit, Ludovicus
„Hungarus ex Eliſabetha matre Uladis-
„lai Loctici nepos fuit. Hujus filiam
„Hedwigem duxit Jagello, Jagellonis
„proneptem Annam ducere debuit
„Henricus, duxcit Stephanus Annæ
„ſoror

„ſoror Catharina Sigismundum III. Polonîs Suecisq; dedit. Eam conſue-
„tudinem tam ſanctam tam præcla-
„ram, tam ſtirpis regiæ reverentem
„nunc quoq; ſervemus: peregrinum,
„neq; vicinum neq; ſuſpectum, neque
„nimis potentem eligamus, ſed cætera
„dignum, ſed Jagellonigenam, ſed ne-
„ceſſitudinem affinitate renovantem.
„*Joh. Badinus* creber noſtræ gentis ad-
„mirator in opere de republica *mortuo*,
„inquit, *non ita pridem Sigismundo Au-*
„*guſto Poloniæ Rege controverſia inter*
„*optimates, qui regni ſpem ad ſe quisq;*
„*trahebant coorta; Senatus conſultum*
„*factum eſt, quo omnibus civibus ad re-*
„*gnum via præcluderetur, ut quidem à le-*
„*gatis Polonorum accepi, quibus in fines*
„*hujus Imperii ad Regem Henricum dedu-*
„*cendum ingreſſis, adeſſe juſſus eram.* Sed
„voce Senatus conſulti abuſus Bodi-
„nus videtur; placuit quidem Senatui,
„ne Piaſtus eligeretur, ſed placita Se-
„natûs in Polonia Senatus conſulti
„vim, & Legis authoritatem ſine Eque-
„ſtris ordinis conſenſu non habent,
„ tanti

„tanti tamen ordinis non contemnen-
„dum præjudicium est; & certè in nu-
„pero Nexu à primariis Viris anno 1659.
„consensu Regis inito inter requisita
„ Candidati ponitur, *ne sit Piastus*. Hoc
„Polonorum judicium ne hostes qui-
„dem culpant. Inspexi venenatam
„Joh. Barlay in Polonos invecturam,
„contuli, quæ autor *Poloniæ defensæ*
contra laudabili zelo dixit, addidi,
„Mithobium, Cyriacum, Thrasyma-
„chum ejusq; adversarium *Lucam de*
„*Gabriis*, nihil tale tactum, vidi quod
„aliis populis venenum, nobis medici-
„na fuit, & cum cæteri admissis extra-
„neis amissa gentis jura imputent, nos
„conservata debemus. Sed nec solis
„peregrinis Sceptra credimus, si hoc
„crimen est, *correum* propè totum or-
„bem habemus. Jam olim Virgilius,
„neq; enim ille Historicus minus quam
„poëta est, duo vaticinia refert, quibus
„fata in Italia externo Æneæ summam
„rerum destinarunt. Rex ipse latinus
„sic inquit. Lib. 7. Æneid.

„ *Est mihi gnata, Viro gentis quam*
„ *jungere nostræ,* Non

„ *Non patrio ex adyto sortes, non pluri-*
„ *ma cælo,*
„ *Monstra sinunt, generos externis af-*
„ *fore ab oris.*
„ *Hoc Latio restare canunt, qui sangui-*
„ *guine nostrum*
„ *Nomen in astra ferant; hunc illum*
„ *poscere fata.*
„ Idem postea canit Hetruscos contra
„ Mezentium Tyranum pugnaturos
„ egregieque instructos, externum Du-
„ cem exspectare jussos
„ *Retinet longævus Aruspex.*
„ *Fata canens: O Mœoniæ delecta ju-*
„ *ventus*
„ *Nulli fas Italo tantam subjungere gen-*
„ *tem.*
„ *Externos optate Duces, tum Hetrus-*
„ *ca resedit*
„ *Hoc acies campo monitis exterrita*
„ *Divum.*
„ Et certè Æneæ & Antenori Trojanis
„ illi Albam Romæ, huic Patavium Ve-
„ netiarum rudimentum fundata esse;
„ Græcos, Philocteten, Petiliani; Ido-
„ menea, Salentinos; Diomedem Ar-
„ gyripam

„gyripam in Italia constituisse, ipsum
Helenum Trojanum Græcis Epirotis
„imperâsse, idem Virgilius testatur. In
„ipsa Roma Numa Pompilius, non
„modo non patritius, sed nec civis qui-
„dem Romanus, ex agro Sabino, auto-
„ribus, patribus imperavit; Lucius
„Tarquinius Priscus Græci Demarati
„filius Rex est Romæ factus, vivis ad-
„huc ~~Æneri~~prioris Regis liberis. Mar-
„cus Perpenna Græcus, & Lucius Cor-
„nelius Balbus Gaditanus, consules Ro-
„mæ fuêre. Imperatores quoq; vete-
„res multi imperia magis patriâ Roma-
„ni fuere. Primus Traianus externus
„fuit, patria *Hispanus*, Hadrianus, item
„Trojano propinquitate junctus. An-
„toninus Pius ex Nemauso *Galliæ*
„transalpinæ opido; Septimius Seve-
„rus ex Lepti *Africæ*, opilius Macrinus
„*Maurus* Heliogabalus *Syrus*, Maximi-
„nus *Thrax*, Philippus vel ipso cogno-
„mento *Arabs*, Decius è Bubalia *Pan-
„noniæ* oppido, Aurelianus & Probus
„Sirmienses, Carus *Gallus* Diocletianus
„*Dalmata*, Jovianus è *Pannoniæ* oppido
„ fingi-

„Singidone; Valentinianus & Valens
„*Pannones*, Marcianus ex Illyrico, Leo
„*Thrax* Zeno *Isaurus*, Anastasius
„*Dyrrhachienses*, Justinus & Justinianus
„Thraces, Tiberius *Thrax*, Mauritius
„Cappadox, Leo vel ipso cognomento
„*Isauricus*, Basilius *Macedo*, &c. Arme-
„nos, Tacitus ait, Regem nisi peregri-
„num ferre non potuisse. Sultani Æ-
„gyptii Prætorianorum militum suffra-
„gio creabantur, sed non nisi ex Apostа-
„tis Christianis; unde & Dynastia illa
„Mammeluciorum Regnum appellata-
„lidem, cum aliquando scissi studiis
„mutuis cædibus & factionibus Rem-
„publicam lacerarent, Campsoni Ca-
„ramanniæ Regis nomen detulerunt.
„Quid ipsas Turcas memorem, quo-
„rum maximæ dignitates vix nisi exte-
„ris, quondam Christianis patent? Æ-
„thiopes Christiani de Davidica stirpe
„suorum Regum etiam gloriantur, Flo-
„rentini cum Monarchiam exuissent,
„optimates deturbâssent, variæ Demo-
cratiæ genera experti fuissent, pertesi
„cædium & discordiarum, & à vicinis
„

Lucen-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 93, [308] - 302
PUBLIC DOMAIN

„Lucensibus persuasi, Legatos ad Pon-
„tificem Romanum miserunt, ut Regiæ
„stirpis unum aliquem mitteret, qui
„Florentinorum Imperium suscipere
„vellet. Et quidem casus obtulerat
„Carolum Neapoleos & Siciliæ Regem
„Divi Ludovici fratrem; is igitur &
„Pontificis Maximi & florentinorum
„oratione persuasus Florentiam venit,
„imperium Suscepit, dissidia compo-
„suit, cumq; ad Regnum Neapoleos re-
„vocaretur, Legatum urbi proposuit,
„sed non prius urbe excessit quam flo-
„rétini vicariæ potestatis pertæsi rursus
„defecerunt; Roma tot externos, Hi-
„spanos, Gallos, Germanos, Belgas,
„Pontifices dedignata non est. Germa-
„ni Alphonso Hispano, & Richardo
„Anglo imperium obtulerunt, quorum
„alter & accepit, ut de Carolo & Wen-
„ceslao Bohemis nihil dicam Gallo-
„rum lex salica nos quidem movere
„non debet. Nam iidem & addictissi-
„mè inter Europæos regnantur. Hu-
„gonis tamen Capeti stirpem ipsi à Wi-
„tichindo Saxone repetunt. Lusitani
legem
„

„legem tulêre, ut quæ mulier ſanguinè
„Regio nata, externo nupſiſſet pro ex-
terna haberetur. At id quidem pru-
„denter factum eſt, nam regnum ipſo-
„rum *hæreditarium* eſt. Eſt item *fœmi-*
„*ninum*; ergo poterat contingere, quòd
„Hiſpanis eodem jure utentibus conti-
„git, ut jure ſucceſſionis ad externum
„Principem ſtirpis Regiæ mulieri ma-
„trimonio junctum, vel ex ea deſcen-
„dentem, *invitâ licet gente* Corona ve-
„niret. Id verò in electitiis Regnis
„metui, non poteſt; & ipſi Luſitaniæ
„Rectores Bragantini è Gallis prognati
„ſunt. Hiſpani Auſtriacis ceſſerunt.
„Neapoleos & Siciliæ Regna, Norman-
„ni, Succi, Andegauſenſes tenuere;
„Mediolanum Hiſpanis, Mantua Ni-
„vernenſibus, Gallis patet; Belgæ Nas-
„ſovios Rectores patiuntur, Angli ali-
„quando Danos, dein Normannos de-
„niq; in Jacobo ipſa ſic volente Eliſabe-
„tha, perpetuos hoſtes Scotos in Soli-
„um admiſere. Jam in Germania Do-
„mus Habspurgica ſeu Auſtriaca, à ve-
„tuſtiſſima Perleoniſtum & Frangepa-
„niorum,

„niorum, Româ profugorum ſtirpe
„oriunda perhibetur, Brunsvicenſis
„quoque, Badenſis quoque, & aliæ fa-
„miliæ Principes, genus ad Italos refe-
„runt. Ut de fabuloſis Troyanorum
„propaginibus nihil dicam. Dani a-
„liquando Bavaros, aliquando Olden-
„burgicos poſtremo & Holſatos Reges
„tulerunt, Sueci Albertum Meagopoli-
„tanum habuère. Iidem Chriſtopho-
„ro Comiti Palatino Rheni & Duci
„Bavariæ in Neuburg, Regi tum ſuo
„conſtitutiones legesq; Regni cultiores
„acceptas ferunt. Nec ita diu eſt, quod
„alium Palatinum, lineæ Bipontinæ
„Rheni vacantis regni Sceptro digna-
„bantur, & nunc quoq; cum gloria ſibi
„præficiunt. Ubi ſunt nunc clamores,
„ubi invidioſæ voces, eorum qui inuſi-
„tatum in auditumque gentibus cla-
„mant, *peregrinum Regem ferre?* Dixe-
„rim potius, nulli unquam genti ten-
„tatum tam turbulenta Reipublicæ fa-
„cie oleum flammæ affundere, materi-
„am ambitioni præbere, petito exſe Re-
„ge. Nam hoc rerum ſtatu quot Pia-
„

ſtos

„ſtos habebimus, quot aut optantes re-
„gnum aut ſperantes? alius ex alio
„competitur naſcetur fœcundiore
„quàm in Moſcovia Demetriorum par-
„tu. Totambages quis definiet, tot
„concurſus quis evitabit, tot præhaben-
„dæ Comitia, tot prælectiones quis
„exſpectabit? Gens Genti, omnio or-
„dini, Palatinatus Palatinatui, ordo
„genti, Palatinatus ordini, omnes o-
„mnibus obſtabunt. Tota unum vul-
„nus Polonia erit.

„ *O Patria & rapti nequicquam exho-*
„ *ſte penates!*

„An ideo ſervata es, ut noſtro gladio,
„noſtris diſſidiis interires, ut nos non
„infelices tantũ ſed & ſcelerati eſſemus.
„Vos, magni Heroes, vos cœlo receptæ
„animæ: Koſtkæ, Tenctkinsky, Zolkie-
„wi, Zamoſcÿ, Chodkewſkÿ, & cætera
„turba patriæ defenſorum, flectite ocu-
„los ad Poloniam veſtram, novâ iſtâ
„quæſtione, propinqua lacerationis,
„quod abſit omen, præcurſore, ferven-
„tem; ſi quid precibus, ſi quid votis,
„poteſtis, tanto periculo intercedite;

molli-

„mollite tumefactas novâ spe, inani
„fermento mentes, prohibete ne con-
„troversia, quam vos florente regno,
„florentes ipsi, monere horruistis, tam
„intempestivo tempore, eversis rebus,
„vix respirante Republica à dissimilli-
„mis Vestri, excitetur. Nunc ad vos
„redeo, *Carissimi Populares* credite me
„quoq; & communi gentis decore, &
„magis salute, moveri.
„ *Et nos aliquod nomenq; decusq; gessi-*
„ *mus:*
„Sed magis patriam, quàm familiam;
„regnum, quàm Coronam amo, nolim
„quantumcunque decus strage civium,
„aut etiam solo periculo redimendum.
„Hoc Ecclesia, hoc conscientia, hoc ra-
„tio jubet. Hoc expendite fratres;
„nec patimini, ut sanguine vestro ambi-
„tiosi homines abutantur. Non ni-
„si unus Rex erit; vix ducentessima mil-
„lesima pars vestri; quotus quisque aut
„de se aut de amico spem habet? quid
„ergo corporibus vestris superbiæ pau-
„corum gradum struitis, quid sangui-
„ne, vita fortunis aliorum furiis lita-
tis?

„tis? Tenete planum & facilè & tritum „majoribusiter. Extraneos vix, qua„tuor competitores, consideravi di„gnos, habetis; indigenas mille apertâ „hâc portâ facietis ipsi. Utrubi facilior „electio est? Illic nullis præelectionibus, „hîc infinitis tricis opus. Illic inter se „hic nos nobiscum, Lithuani Polonis, „Senatus equiti, miles omnibus, colli„demur, & semi animis jam tum pa„tria, fatalis discordiæ convulsionibus „fracta, exhalabit tandem spiritum il„lum, à quo tot millia vitam trahunt. „Membra & exuviæ vicinis, hostibus, „Barbaris, in prædam cedent. Illic „vetera & tuta, hic nova & adrupta „tentantur. Illic vera, hic inanis „gloria est. Illic principes exteri no„bis serviunt, hic nos concivi nostro. „Utrum glorioõus? Illic multitudo „merentium ambitu vacans, etiam ex„teris admirationi est. Hic uno indige„narum electo, generositatis opinio„nem cæteri omnes perdunt. Utrum „gliorioſius? Illic retinetur inter cives „aqualitas, servaturq; bilanx familia-

rum,

„rum, hic pondere unius emicante, in
„præceps libertas ibit; Illinc arcanum
„ſtat conſervandæ libertatis, hinc pro-
„ditur. Ille Candidatus familiam in
„Polonia non habet, hic inviſceribus
„noſtris jam tum fixus firmatusque eſt.
„Ille plus Capitulationibus adſtringe-
„tur, hic ſolutior luxuriabit; ille plus
„ſuſpectus intentis in ſe omnibus fru-
„ſtra quidquam tentabit, hic pavor per
„publicum ſoporem obrepet; Hic ſuis
„Magiſtratus dare poteſt, illi omnes re
„clamabunt. Illi diſcenda noſtra ſunt;
„hic, omnium callens ſcit, ubi labore-
„mus, ſcit cui maximè arti pateamus.
„Ille denique, ſi diplicet facilius ejici,
„hic uon niſi radicibus tota cum fami-
„lia aliisq; multis familiæ illi innexis
„evelli poteſt. At à peregrino pericula
„imminent? Hæc omnia evaneſcent, ſi
„non vicinum, non nimis potentem,
„non clientem potentis, non turbidum
„non inexploratum, non ſuſpectum;
„ſed prudentia & moderatione incly-
„tum, carum genti, vinctum nobis ho-
„ſpitio, junctnm ſanguine, vinctum af-
finitate,

„finitate, ſervato illo priſco ſanctoq; à
„veteribus ad nos deducto more reten-
„taq; dum ſupereſt, Piaſti Jagellonisq;
„fatali ſtirpe eligemus, denique ſi hoc
„curemus ne adductâ adauctave pere-
„grinorum multitudine nos obruat.
„*Hactenus autor illius ſchedæ, nunc ex*
„*Piaſti excluſione Corollaria* deducemus.
„Hinc

Corollarium I.

PEREGRINORUM multitudo Polonis vitanda.

Nam Rex peregrinus eſſe debet *per Prop. præſentem.*

Rex peregrinus hac maxime cautela coercetur, quod inſtrumenta privatim fida in regno multa non habet.

Inſtrumenta ei privatim fida ſunt ſui indigenæ, nobis extranei.

Ergo multitudo peregrinorum nobis vitanda.

Lem-

Lemma.

„ *Attamen Peregrini vitari prorſus*
„ *non poſſunt.*

Nam Poloni indigenæ ſunt, aut nobiles, aut ſubditi Nobilium.

Nobiles opificia & commercia non tractant, ſed rem militarem, & literas.

Subditos ſuos non patiuntur aſpirare ad libertatem.

Ergo nec à colendâ terrâ ad opificia & Commercia ſe convertere.

Id enim fieri vix poſſet, niſi ipſis Collegia peregrinationes, honeſtiorque vita permitteretur.

Ergo reſtat, ut opificia & commercia à peregrinis ferè tractentur.

Opificiis & Commerciis carere Reſpublica prorſus non poteſt.

Ergo PEREGRINI á Polonis prorſus vitari non poſſunt.

Hinc ſequitur Peregrinos vitari debere, quous-

quousque sint vitabiles, in commerciis autem & opificiis non sunt vitabiles, vitentur ergo saltem in negotiis Reipublicæ procurandis. Et certè Polonia undique aperta est, ideo custodiri transitus non possunt. Ergo nec excludi Peregrini. Sed nec is Polonis animus nunc est. Cum enim peregrinationes ament, amant & peregrinos.

Corollarium 2.

Rex ex ea gente sumendus non est.

Quæ secundo genitis dignitate Patris, & territoriis privat.

Ea enim gens secundo genitos plurimos cogit patria extorres fieri.

Et in alias gentes se effundere animo ibi manendi.

Maximè autem in illam gentem, in qua Regem suæ gentis, consanguineum etiam fortasse, & δευτερογενήσεος (postgenituræ) facto sibi similem habebunt.

Talis

Talis autem electo ex illâ gente Rege, erit illis gens Polona.

Talium ergo magna multitudo se Polonis infundet, & quidem animo manendi.

Magna Peregrinorum multitudo Polonis periculosa *per præcedens hic Coroll.*

Ergo Rex ex gente secundo-genitis tam iniqua sumendus non est.

Talis est gens Gallica, in qua Nobiles secundo-genit; multum à gradu dejiciuntur; ii verò se mercaturæ, & opificiis non applicant; Ergo non sunt inter illud peregrinorum genus quod vitari non potest. Vitentur ergo: nam Reipublicæ eos se immiscere, satis domesticâ experientiâ didicimus. Hoc Corollarium & *Condæo* & *Lotharingo* obest, Nam & Lotharingus etsi animo austriacus, gente tamen, sanguine, linguâ & cognatione, Gallus est. Uterque verô & Condæus, & Lotharingus, cognatorum è Gallia innumerum prorsus nu-

merum trahet, quorum plerosque ſiniſtra naſcendi ſors ad enſem vel cappam damnavit. Hos uno diluvio nobis ſuperfuſos, Regiam implentes, omnes ad Regem aditus obſidentes, non ſolùm alere, ſedet colere, & domi licet ſpretos turpi ſummiſſione cogemur venerari. At illi Reipublicæ militiæque, tum & ſacris (ſi non ſecularium, certè regularium Clericorum ſpecie) admiſſi ea paulatim conſilia cudent, quæ in capita, in libertates noſtras erumpant. Lotharingus præter Germanos tribus ſimul nationibus obſidebitur; Gallis quippe conſanguineis, quos amat. Italis Hiſpanisque fautoribus, quibus obſtrictus eſt; Gallos ex patria Italos ex Imperatricis vidua, præſertim Hiſpanos ex Imperatoris aula; illos ex Lotharingia, hos à Vienna, ubi talium ſtudia favoresque quærere, precio, prece, pollicitationibus, familiaritate etiam partùm Regiâ, vilis ſæpe conditionis hominum, ſed in aula potentium patrocinia ſibi emere, ſolutionem in ſpem Regni differre, cogebatur: Abundabat Vienna hoc hominum genere, gaude-

bitque levari paulum', etsi possit modo in Poloniam exonerari. Neoburgicò nihil tale: cognatos præter Principes non habet. Jam Principes in Germania natu secundi, Principis dignitatem retinent, in territorii sæpe partem veniunt. Sufficiunt ergo sibi, nec ad deformes illas artes & ministeria aulica adiguntur. De cætero Germani in Polonia peregrinantes opificiis & commerciis occupantur, quæ res nec suspecta Polonis nec vitanda.

Conclusio I.

MOSCHUS utiliter non eligetur.

Moschus noti ingenii non est, *contra Prop. 20.*

Et qui possit? 16. annorum puer, nisi etiam minorem natu, retento apud se Primogenito, pater nobis obtrudit.

Per Vice Regem Imperaturus est *contra Prop. 21.*

Quia propriam ditionem vastam lateque fusam habebit, quam sibi absolutè pa-

rentem amabit præ noſtra; Ergo & coram reget, Ergo nec per Vicarium.

Catholicus non eſt nec ſi erit, niſi ob Regnum erit *contra Prop. 22. 23.*

Græcæ quippe Religionis ſchiſmaticus, ab ipſis Græcis ſchiſmaticis degener.

Prudens expertusque non eſt, puer eſt, contra *Prop. 25. 26. 28. 38.* Pariens modeſtusque non videtur, ſed barbarus gente, moribus educatione contra *Prop. 32.*

Status Regni pro monſtro habens, ſoli deſpoticò regimini aſuetus, â prima pueritiâ, cujus inſiti ſemel mores vix evelluntur. Tum nota illius gentis barbaries, nota ſuperbia, quam grandibus illi titulis ineptiant, quam turgido, imo Hiſpanico faſtu intonent. Crudelitas in deditos in exorabilis, intolerabilis licentia in victos. Jam olim Lucanis *ſævisq; affinis Sarmata MOSCHIS.*

Adverſiſſimus *orbi Chriſtiano* contra *Prop. 47.*

Hinc illæ Pontificis Maximi, Clericq; diſſuaſiones, hinc leges etiam Imperii Germani

manici & mandata ad Civitates Hanseaticas data de instrumentis belli ad Moschos Barbaros non devehendis.

Læsit Polonos & recenter & in simili causa, nempe electionis contra *Prop. 48. 49.*

Non vetera persequar, non immanem Johannis Basilii Tyrannidem exagitabo, non florentis Livoniæ veteres vicinos deplorabo. Novis tantùm advertite mentem: quantus terror fuit toti Europæ, cum Barbarus ducentorum millium exercitu Livoniæ non ita pridem Lithvaniæque nostræ se infudit, omni crudelitatis genere grassatus est, flammis incendiisque omnia longè lateq; vastavit, multa hominum millia pecorum instar abegit, & in servitutem Turcis, Tartarisque vendidit. Rebelles vero Cosaccos solicitavit, juvit, & nunc quoque sustinet. Illud vero quis ferat, qui suas ditiones Regis nostri filio Magno Vladislao extorsit, eum à nobis regnum postulare; felix scelus, si beneficium meruit, turpes nos si non aliter præ-

prædonem ulciſcimur miſeros, ſi cum præmio irritamur.

Potentiſſimus eſt *contra Prop.* 51. & vicinisſimus *contra Prop.* 53.

Quis neget? ditiones ejus contiguæ Polonis, imo inſertæ permixtæque, ab occidente Mare Balticum, ab Oriente Caſpium, à meridie Pontum Curinum à Septentrione Oceanum glacialem habent. Hinc Sueces illinc Perſas, contingit. Longitudo ad quingenta milliaria Germanica accedit, latitudo non minor, jam multa nobis detraxit multa à nobis deficientia in fidem clientelamque ſuſcepit: par vincendis integris, quanto magis par opprimendis ſciſſis. Bona igitur quæ offert, cui alii donabit quam ſibi? Reipublicæ enim donat, at hanc ipſam Rempublicam ſibi donari poſtulat.

Per ſe tamen nihil habet, obnoxius alteri, contra *Prop.* 54. & 55.

Nam quæ habet Patris ſunt; patris avaritia nulli filio peculium permittit. Avaritia inquam, quæ in illo certè ſumma eſt,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 93, [324] - 318
PUBLIC DOMAIN

ma est, qui unus suæ ditionis mercator est, qui universale monopolium erigit, qui ipse quasi extraneos hoc facere, satis non sit, subditos expilat, qui filias, ne dotare cogatur, in monasteria detrudit. Ab his sordibus, quis aliquid generosum liberaleque, & indole, non dicam Regis, sed saltem mediocris, Nobiles Poloni dignum, expectet. Filium erga Pater sibi devinctum, sibi obnoxium habebit, cum liberalius ei subveniet, ditiones pignori poscet, facile etiam prætextu mutuò datæ pecuniæ infinitis innos prætextibus insurget. Filio verò à Patris rationibus, votis, consiliis, ne latum unguem discedendum erit. Uterque alteri auxiliabitur; Filius Patri ad prolatandas ditiones, pater filio ad domandos Polonos.

Extraneo non *utitur* tantum, sed & *nititur* contra *Prop. 56.*

Patre scilicet suo, hujus viribus, potentia opibus subnixus efferetur.

Magno Duci Moscoviæ personaliter subditus contra *Prop. 57.*

Et P*atri* ſcilicet, & *Principi* Heroque ſuo.

Magnum Ducatum mortuo parente habiturus eſt jure hæreditario contra *Prop.58.*

Multum ſcilicet abeſt à Jagellone, Jagello ſuum magnum Ducatum nobis univit, hic nos, niſi caveamus, uniet ſuo.

Jagellonigena denique & omnino *Regalis familiæ* non eſt contra *Prop.59.*

Nam Parens ejus ex infima conditione, tumultu, ac ſeditione nullo jure; nulla legitima electione ad ſolium noſtro Principi debitum, aſcendit.

Moſchus igitur utiliter non eligetur.

Moſchus & Chriſtianis moratioribus, & prudentibus cunctis, & quibus vis ſanis hominibus ſemper horrori fuit, ſuetus ſervituti ſuorum, nulla jam exceptione parendi. Turca alter, cui par propè viribus terribilior vicinitate, ſuperior barbarie, obſtinatione animi, odio in diſſentientes. Cohorreſcit adhuc Livonia ad memoriam

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 93, [326] - 320
PUBLIC DOMAIN

am crudelitatis, nihil ſimile à Turcis editum. Mahumetem Baſilius vicit, Chriſtianus ſaracenum, novitate mortium, arte tormentorum, rivis cruoris. His moribus quid refert Chriſtianum eſſe? Græcorum ſchiſmate nullum pertinacius, nullum evelli difficilius, quia non ratione, ſed ſtupore, ſed ignorantia habentium radicatur. Cæteros non hæreticos, non ſchiſmaticos, ſed ne Chriſtianos putant. Baptizatos negant, qui ter merſi non ſunt, nunquam bonâ fide Catholici erunt, qui unionem cum ſede Apoſtolica maximè abominantur, qui ituris olim in Terram Sanctam, cibos, fontes, aërem, infecare; qui Palæſtinam ſaracenis quàm Latinis maluêre, qui ſoſpitatoribus ſuis ideo tantùm inſidiabantur, quia Romanæ eccleſiæ cohærebant. Huic opinionis pertinaciæ, gentis feritate duplicatæ, an ſalutem an libertatem noſtram credimus? Eosne in viſcera regni admittemus, authoritate, factione viribus armabimus; Prætextu Juris ad ſævitiam & oppreſſionem noſtri inſtruemus,

mus, qui foris ægre arcebantur, quibus præter Tyrannidem aliud regimen natum non eſt. At religionem mutandam offerunt? Cujus vero? an gentis? minime id quidem. Unum hominem nec eum ſincerum Eccleſiæ dabunt, præclaro, ſi Dis placet, pro tot periculis incremento. Quid aliud hoc eſt, quàm anguem donare, ſed ea conditione, ut in ſinu foveamus? ⊙ animi levitatem, quæ cum purpura movetur, ô firmam fidem, quæ ex ſceptri apice pendet, quæ hoc unum miraculum poſtulat: coronari. Nam certè Moſcum, Poloniæ Regem, prudentes omnes aut miraculum credent, aut monſtrum. At Smolenskium reddet, tot auri myriades, quot una vix linea capit, in nos congeret? credamus facturum: cui alii donabit quam ſibi? Ite deinde & rationem repoſcite, audete hiſcere Tyrannum, ſentietis quod in fabula eſt, trabi Ciconiam regem ranis ſucceſſiſſe, lupum in mediò ovili verſari, nec facilè in ordinem cogi, cui tot è Vicinia ſuper ſunt millia armatorum, qui per ſe

par

par nobîs contra ſe unitis, ſciſſos jam & in ſe partim inclinantes, miſerante Europâ, abſit omen, lacerabit. At vero ne vicini immoti, ac velut ſiderati ſtupebunt, ſentient quantum è Republicâ petatur, duplicari Turcam, propugnaculum Chriſtianitatis â Barbaris capi, conſurgere molem opprimendæ Europæ parem. Ipſe Turca naſcentem potentiam formidabit. Ibunt omnes obviam, in nos vel ut laxatis habenis barbaræ gentes effundentur, apud nos erit arena, in qua infeſtis animis Turca Moſchis, Græci Latinis, Europa Barbaris, Chriſtiani infidelibus concurrent; nos ipſi portam aperuerimus, facilis hinc in Germaniam Scythis via, Demus operam, ne exitium, & noſtrum & ſuum, Europa deploret.

Concluſio 2.

CONDÆUS utiliter non eligetur.

Condæanorum dubitata nonnunquam *juſtitia* eſt, contra *prop. 24.*

De

De quo idem ille, quem supra prop. 33. citavimus Polonus scriptor solita tamen & nimia sibi vehementiâ: Regi suo, inquit, jus regnandi dubium facere ausus est; bellum movit, intestinis armis Galliam concussit odiis inolitis tantum indulsit, ut Hispanis, juratis Patriæ hostibus, militaret, his ipsis tamen fidem duraturæ amicitiæ dedit; at nuper spreta hæc calcataque est, inundatus liber Burgundiæ Comitatus, oppressæ urbes, corrupti gubernatores: quæ in nos egit ejus factio, funestæ semper memoriæ erunt.

Sed nec *prudenter* egit contra *prop. 25.* Cùm violentis potius & damnatis per leges nostras in Polonia artibus, quàm amore obtinere Regnum speravit; cùm paucis corruptis totam Poloniam corruptam credidit; cùm notâ intempestive successionis quæstione, vivo Rege, odia in se gentis concitavit.

Patiens, quietus, bella dum possit, vitans modestusq; non est *contra prop. 32. 33.*

Tum

Tum naturâ Gentis, tum propriâ. Nam calida semper & violenta ejus tum consilia fuerunt in Galliâ tum implicamenta in Poloniâ tum bella in Belgio & Germania: Ut parvum aliquot oppidum caperet, (*pergit idem Author Anonymus sed ipsemet in scribendo nimis immodestus*) Ut exiguam hostium manum debellaret, triplo majorem suorum numerum impendit; quod acerrima acies absumeret, id dictitabat unâ nocte in Parisiensibus amoris Gymnasiis restitui. Scilicet

„ *Et quantum longis carpunt armenta diebus*

„ *Exiguus tantum gelida vos nocte reponit.*

„ parva certè humani sanguinis pretio, sarumque DEO animarum curâ; quo verò pietatis sensu, non dixerim.

Familia ejus seu potius linea, turbis nobilissima est, contra *prop. 34.*

Quæ perpetuis & hoc & superiore seculo contra Reges legitimos bellis claritatem magis quàm laudem meruit.

Ipse

Ipſe herili, dominico, deſpotico regimini aſſuetus contra *prop. 36.*

Ex gente ſcilicet ſuper omnes Europæ Gentes deſpoſiticè regnata & regnante.

Ab Orbe Chriſtiano diſſuadetur, *contra Prop. 47.*

Scilicet ab Anglis, Batavis, Svecis, Danis, ut de Cæſare, Hiſpanis, cunctisq; Italiæ & Germaniæ Principibus, nihil dicam. Hi ſcilicet omnes nimiam Gallorum potentiam, immanesq; illas ſpes, quas nuper prodiderunt, exhorreſcunt.

Polonos gravisſimè læſit in hâc ipſa causâ, *contra prop. 48. 49.*

Scilicet in *electionis negotio*, quam ut compararet ſibi, quid non tentatum? corrupti proceres, officia conjuratis data, proſcriptionibus in tenaces libertatis graſſatum; depravata moneta, turbata commercia, militia ad ſeditiones, ad confæderationes, ad coitiones, Studiosè coacta, Tartari evocati, Coſacci extimulati, Turcæ aſperati, Moſci irritati, Sveci fodicati; deniq; id actum eſt, ut omni genere malorum oppreſſi, decretum

tum à Porta Gallicana Regem, (*ut loquitur nuperq; scriptor Lotharingicus*) velut cælitus missum statorem petere, etiam & beneficii instar impetrare, & flagella nostra ipsi redimere cogeremur; sed fata nobis aliam salutis viam aperuerunt.

Domui Austriacæ & Coronæ Suecicæ, *certus hostis* erit contra *prop. 50.* Ambobus & potentibus & vicinis. Nam cùm Monarchiæ haud dubiè Gallicanæ, quâ nunc cudendâ Politicorum fabricæ lassantur, instrumentum futurus sit; & Austriacis æmulis, per se; & Svecis, quia Triplo fœderi nomen dederunt, armaque commodarunt, ut ad sua tutanda revocentur, certus hostis erit.

Potens contra *prop. 51.* Nam grandes sanè in Galliâ reditûs habet. Ergo faciet quod Henricus Valesius fecit; is regnum vix ingressus, effusâ prodigalitate ipsos proventus mensæ regiæ dilargiebatur, quâ ratione & captabat accipientium animos, & cogitabat pauperiorem Rempublicam reddere

dere, ne, distracto Domanio Regis, imposterum ad Regem, nisi per se opulentissimum, id est Gallum, sumendum animos adjicere posset. Et certè, si regnum acquiret, pecuniâ suâ acquiret; quod autem acquirere pecuniâ potuit, eâdem sibi suisq; perpetuò retinebit, id est, opprimet libertatem.

Potentis Monarchiæ nempe Gallicæ, amicus & cliens contra *Prop. 52.*

Idem tamen debilis & egenus & ab alio pendens si per se ipse spectetur, *contra prop. 54.*

Hinc Regi Galliæ obnoxius contra *prop. 55.*

Quidvis facturus, ut regiilli reditus, quos in Gallia, percipit, sibi, etiam Regi Poloniæ facto, continuentur.

Hoc uno *nititur* contra *prop. 56.*

Nam certum est, Rege Galliæ nolente, ne mittere quidem legatos, nec efferre regno pedem posse.

Imo huic plane subditus est contra *prop. 57.*

Ideo

Ideo si Corona ipsi acquiritur, stricto Jure Regi Galliæ acquiritur, (uti servus acquirit Domino) nisi is expresse renunciet, præsertim ob Axioma Gallorum, *quod quæ Rex vel familia ejus acquirat, Coronæ uniantur*, & inde sint postmodum inseparabilia. Imò, etsi renunciet, dicent successores, renunciationem invalidam esse invitis scilicet ordinibus Regni factam, quemadmodum his axiomatibus *Cassanus*, *Puteanus*, *Auberius*, aliisq; utuntur. Sed & in Regis Galliæ potestate est, non dimittere Condæum, quippe subditum suum, nisi præscriptis juramentoque firmatis certis secretis conditionibus.

Attamen facilè ipse per se regnum habiturus est contra *prop. 58.*

Quam facilè enim, quàm paucis mortibus, restitui res in eum statum potest, in quo nundum triginta abhinc annis fuit, quo tempore vix quisquam dubitabat, hunc ipsum Condæum Galliæ Regem fore.

Jagellonigena non est, *contra prop. 59.*

Secun-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 93, [335] - 329
PUBLIC DOMAIN

Secundo-genitis Gallis nos inundabit *contra prop. 60. Corollar. 2.*

Ergo CONDÆUS utiliter non eligetur.

Quid attinet ſparſim dicta contrahere? præſertim cùm quæ dicere poſſem, in ore animisq; omnium verſentur, nec ego addere fortiſſimo Principi invidiam, ſed conſulere patriæ velim; Eſto igitur juſtus, pius, prudens, fortis, moderatus, felix, inclytus; attamen libertati gravis, corruptelarum prodigus, Monarchiæ Gallicæ amicus; Cæſari, Svecis, Triplo fœderi, cunctis Neutralibus, hoſtis erit; ambitioni ſuæ Domus, odio publico, funeſtis de Europæ imperio certaminibus, nos involvet. Interea exhauſtis, Turca, Moſchus, Tartarus ſupervenient, & quod Gallus ſibi quæſivit, Barbarus cum exitio Europæ vindicabit.

Concluſio 3.

LOTHARINGUS utiliter non eligetur.

Lotha-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 93, [336] - 330
PUBLIC DOMAIN

Lotharingus noti satis genii non est, *contra prop. 20.* nec prudentiæ documenta dedit, & juvenis non expertus est, *contra prop. 25. 26. 30.*

Quia nullam hactenus provinciam in republica administravit, in quâ ingenium ostendere potuerit. Neq; Legatus, neque Præses Provinciæ, neq; Consuliarius, imò nec belli Dux, more alienorum Principum Juvenum fuit. Vix unis castris, unius legionis brevis præmaturè tribunus fuit, quo tantulo tempore, si scientiam militarem acquisivit qualem jactant, *infusa* sit, oportet. Sed & alia Ducis, alia Tribuni vel Colonelli laus est. Illius consultare prudenter, hujus exequi audacter. Ergo nec hac in parte prudentiam ostendit. Omnium minimè verò quòd sprevit paulo ante Polonos, nunquam ad eos accessit, casum interregni non prævidit, omnia distulit, nunc imperu uno sarciri neglecta posse putat. Si modo finibus incubet, quod tamen magis odiosum invidiosumq; est. Quod verò Religiosorum discur-

discursationibus, fascinari populum posse putavit; & nimiam in eos pronitatem suam maturè ostendit, id tum Clero seculari, tam Ordini Equestri, tum ipsius Societatis inclytæ Generali, abusum invidiamq; in ordinem tandem redundaturam, diutius non ferenti, usque adeo suspectum visum est, ut ad extremum Confessario Lotharingico commerciis istis minimè religiosis interdiceretur.

Patiens & modestus & sedatus non esse perhibetur *contra prop. 32. 33.* Sed familiæ turbulentæ dissidentibusq; infestæ contra *prop. 34. 35.* Id cùm ex præcedentibus patet, tum ex agendi modo. Prima enim *ejus factio* schedas velut triumphales, nescio quo consilio, tota præcipuè Germania, ut fando accepi, disseminavit; quasi scilicet plebis Germanicæ rumoribus Rex Poloniæ cretur. Ἐπινίκιον πρὸ νίκης cecinit, plausum ante victoriam imò ante pugnam captavit, Neoburgicum acerrimè proscidit, jus successionis ac præro-

prærogativam ſanguinis rancidam quandam ac vetuſtatis neſcio qua longinqua ſtribiligine obſoletam, minimè renovatam, minimè verò Neoburgici ad Jagellonem propinquitati (quam tamen is, tam demens non eſt, ut ad ſus trahet) comparandam; plenis buccis jactavit; quin etiam in ſcheda quadam in Imperio Germanico volitante, & ad nos tandem perlata, expreſsè ingeminavit neſcio quis tenebris: Lithuaniam ſaltem, Jagelloni hæreditariam, à Lotharingo Jagellonigena jure vindicari poſſe, quo nihil poterat dici abſurdius, & à Candidati moribus alienius; porrò quòd finibus noſtris incubat, quod Juvenum favorem captat, militib9 Auſtriacis ſtipatus, armatas preces fundit; nemo modeſtiæ laudaverit, ſi gentem, ſi familiam, ſi patrem, ſi patruum, imò ſi ſe ipſum ut cœpit, ſequitur; nihil conſtans, nihil ſedatum. Lotharingorum Semi-Gallica, imò Sesqui-Gallica levitas; Patruum patremq; Protea habuit, modò Galliciſſantes, modo Hiſpaniſtas; ſed utrobique malè materiatos, malè

mulcta-

mulctatos. Ipsius Candidati transfugium refugiumque etsi pueritiâ excusetur, non tamen prorsus obliteratur; gliscunt & in illa ætate igniculi morum. Turbæ verò Iâ Lotharingicâ Guisiaq; familia in Galliâ contra Reges religionis prætextu excitatæ, penè Regno & religioni Catholicæ nimia impetuositate exitiales, nullo seculorum lapsu delebuntur: Principis ipsius Lotharingi ea indoles esse dicitur, ut citius quieta rescissurus, quàm lacerata sarturus videatur.

Plerisq; Rebus publicis & vicinis & potentibus, & Neutralibus parùm gratus; Polonis ante ambitionis materiam nullâ benevolentia cognitus; at Gallis potentibus hostis, Austriacis Vicinis & potentibus nimis amicus, *contra prop. 47. 49. 50. 52. 53.* per se sine illis nil tenens, illis obnoxius, illis unicè nixus; Austriacis ditionibus & orbitati Cæsaris imminens, hujus

ab

ab aulâ triplicem nationum colluviem invecturus *contra prop. 55, 56, 57, 58, 60.*

Hæc in singulis propositionibus clarè demonstrata. Cuncti enim Neutrales Principes, id est, qui neq; Gallicissant, neq; Hispanizant neutris addictum volunt. Ergo nec Lotharingum, Hispanorum vel Austriacorum alumnum, Clientem, Ministrum juratum, stipendiarium, Generum designatum. At quantò Austriaci eum ardentius promotum cupiunt, rectè quidem sed eo efficacius, subtiliusque; quantô item Polonis viciniores potentioresq; sunt; quanto eorum Cliens, Turcæ, Moscho, Svecis, Brandenburgicis, imò ipse Imperio Germanico formidabilior erit; quantô ipsi plures in Coronam nostram prætensiones superstites jactant; quantô notiora sunt exempla ab iis in vicinâ Hungariâ, Bohemiaque edita: tanto magis & vicini obnitentur, & odio in Hispanos publico nos involvemur, & nunc quoq; libertati, imô & saluti nostræ,

ſtræ, cavere debemus. Cur enim Regem eum ſumamus, qui ex duabus potentiſſimis æmulis, rivalibus Europeæ Monarchiæ Domibus: Auſtriaca & Borbonica, alteri nimius amicus, alteri certus hoſtis; nihil aliud quàm bellum certum, jus dubium, dotale Reipublicæ affere; Lotharingiam avitam, à Gallis vix non ſubactam, noſtris frameis aſſerere, noſtris ſumptibus rueri volet, bello cum potentiſſimo Rege, motibus nihil ad Poloniam pertinentibus, & ſi (quod abſit,) orbitas Cæſaris contingat ambitioni ſuæ, atrociſſimis de Auſtriacâ Succeſſione contentionibus; nunc, ſi non contingat, reſumtis, modo tanta per nos acceſſio fiat, Hiſpano-Auſtriacis Monarchiæ univerſalis conſiliis, nos involvet, in nos Svecos, Moſchos, Turcas concitabit, Auſtriacorum tam potentium tam vicinorum, nec aquis aut montibus à nobis ſeparatorum, tam ſuſpectorum Polonis, tam dura in Maximilianum lege, magno præjudicio, propè excluſorum, nutibus circum agetur: Gallus natione, Auſtriacus affectu; cujus

jus animus apud unum; ditio apud alterum potentium æmulorum. Porrò cùm ipse per se possideat, præter spem, nihil; cùm nec territorium, nec thesaurum, imo nec pensionem certam principe dignam habeat; nova sibi omnia comparare, novam gazam Regiam, suppellectilem, pompam instruere; cum primum in regno pedem posuerit, extraordinarias contributiones indicere; sumtus conjugio Austriaco necessarios, facilè doti pares, afflictis Polonis extorquere, cogetur. Cùm hæreditariis ditionibus opibusq; prorsus careat; liberos ejus, si quos suscipiet, sola Respublica sustentabit; his de officiis, beneficiis, annuis reditibus, alimentis regia familia dignis, cum summo onere prospicere cogetur. Jam tot cognatos, quorum numerus iniri facilè non potest, quos ægrè Gallia alit, in nos effundet; quadruplices simul aulicos, Hispanos, Italos, Germanos, Gallos adducet. Patronos in aula Viennensi suos rursus locupletare cogetur, in præoccupato animo novis amicitiis locus non

non erit. Polonis quos ultimo extremus acceſſit, cum quorum pauculis quibusdam vix aliquot menſium familiaritatem coluit; quorum pauciſſimos, imò, ſi juvenes aliquot demas, nullos vidit; quorum paucos fando comperit: Polonis inquam nec Coronam debebit; Sed miniſtris Cæſareis, ſed aliquot ex Italiâ Hiſpaniaq; Aulicis Viennenſibus, quorum conſilio miniſterioq; aut potius Patrimonio uſus eſt. In hos gratitudinem effundet, Polonos, quaſi horum arte, ingenio, induſtriâ deceptos, perſuaſosque; factus jam Rex, prorſus contemnet. Illi verò Regis intimi erunt, omnes ad eum aditus obſidebunt, conſiliis ſuis Juvenem circumagent. Porro de accidendâ paulatim libertate, de muniendis arcibus, de Polonis domandis, cum vicinis intimisque ſibi Auſtriacis; cum Italis ſuis Hiſpanisque conſultabit; tectiora illi Gallicis nuperis, ſed efficaciora conſilia cudent, donec variis modis fracti in dominatum concedamus. At ipſe Princeps, animi inquies, calidus juven-

ta,

ta vicinis bella faciet, Svecos, Brandenburgicos, Moſchos Turcas irritabit, repetundarum ditionum, generoſitatisq; antiquæ reſtaurandæ prætextu, revera ut militiam ſibi ſtabiliter obliget, ut cæteros togatos cives nobilesq; tanto potentius opprimat, ut ſive Victoriâ, ſive clade attriti cæſis per continua bella Generoſiſſimis Viris, ſimili cum Hungaris fato, deformi obſequio præparemur. At, quid ſi res ſecus cadent, ſi Gens libertatis tenax pertinacius reluctetur, ſi bella inteſtina excitentur, ſi infelicia ſint, quæ jam tum Lotharingica factio crepat, repetundarum ditionum in Moſchum, Svecum, Brandenburgicum, Turcam etiam, & cum Tartaris Coſaccos, bella; quid ſi Rex, rerum inexpertus, bellandi brevis, cæterum naturâ ferox & levis, vel Uladislai apud Varnam cæſi heu olim noſtri, vel Ragozii nuperi infelicis Turcarum Laceſſitoris, fata experiatur; Tum verò à fronte, à latere, à tergo urgebimur, in lacerantium partes ibimus; fracti alioquin tot bellis ſumus, propugnaculo Coſaccorum

rum dudum caremus, hos ipsos nunc timemus, per quos antea timendi eramus; diluvio barbarorum inundabimur, propugnaculis angustiisque caremus; si semel exercitus Reipublicæ prosternatur, continuò totum persultare Regnum hostis potest; Hoc in Svecis, graviore tamen armaturâ tardis, didicimus; quid levissima Tartarorum gens, cui inediam sitimq; tolerare mos, flumina maxima tranare ludus, terroris, cædis, incendii, Vastitatis non inferent? quod nostrorum captivorum millia, Asiam Græciamq; implebunt. Faxit Deus, ut, si fata urgent Poloniam, si juvenis ferocis, delicus aulicis sueti, inexperti, Austriaci, Neutralibus adversi ingratiq; Turcis Gallisq; hostilis, bellis, odiis, prætensionibus impliciti; vel alia novaque adhuc spirantis eligendi, tam dira cupido excuti animis non potest. (quod tamen

Nec Pater illesinat Summi Regnator Olympi;)

Saltem falsæ, si fieri potest, demonstrationes

tiones meæ inania omnia, animo ejus in melius miraculosè mutato, comperiantur.

Conclusio 4.

„ NEOBURGICUS utiliter eligetur.

„ *Neoburgicus* noti genii est, secundum *prop.* 20.

Natus est *orbi*, in cujus conspectu multa à tot annis, quibus non contemnendorum Principatuum felix Rector fuit, edidit, bella gessit, grandes controversias terminavit, maximis confœderationibus interfuit, in plerisq; aulis negotiatus est. Notus *Poloniæ*, in qua juvenis fuit, matrimonium contraxit, favorem obtinuit, & aulâ semper Polonis plenâ continuavit.

Per *Vice Regem* Imperaturus Polonis non est secundum *Prop.* 21.

Nam certè Libentius majori Ditioni incumbet. Minores illas in Germania hæreditarias terras per Legatum regere, & *Suetum* Regibus (neque enim deserta Dania

Daniâ aut Sveciâ Regis in Holsatia aut Pomerania hærent) & justum, quia in res hæreditarias potestas major.

Catholicus est & dudum quidem, quia Catholicus natus secundum *prop. 22. 23.*

Eo usq; certè, ut Ecclesiæ causâ certamina gravissima, cum potente Adversario, Electore Brandenburgico sustinuerit.

Justus secundum prop. 24.

Quod enim unquam ab eo fœdus ictum & non servatum? animus naturâ à vi bellisq; abhorrens, arbitrorum patiens; arbitrum ipse in multis Germanicorum Principum controversiis sese æquabilem præstitit, nunquam Cæsaris & Imperii hostibus militavit, quod tamen pleriq; Imperii Principes jus fasque esse putabant, subditis denique non Dominum sed Patrem præstitit, ideo ipsos nunc in maximis necessitatibus sumptibusq; non refractarios sed filios expertus est.

Prudens, expertus, linguarum peritus secundum *prop. 25. 26. 27. 30.*

corpore

corpore vegetus plus animo tamen; ætate maturus, liberis munitus, ſedatus nec bellaturiens, familiæ minimè turbulentæ, diſſidentium tolerans, deſpotico regimini minimè ſuetus, imò inimicus, ſecundum *prop. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36.*

Varia juvenis expertus eſt, linguas: Latinam, Italicam, Gallicam, Hiſpanicam, Belgicam, ſingulas ita promptè intelligit, quaſi vernaculas, ita loquitur perfectè, quaſi quamlibet unam ſciret, ita ſcribit exactè, quaſi non uſu ſed multo ſtudio & doctrinâ ſibi comparâſſet. Viginti ſeptem anni ſunt, quod maritus eſſe cœpit, ab eo tempore acta ei perpetuis negotiis vita, nulla ſine linea dies, & tamen admiſſum nihil, quod imprudentiæ culpes; ne unum quidé alicujus momẽti erratũ annotatum, ſive domeſtica ſive externa ſpectétur, in tanta ſcribendi libertate & Hiſtoricorum recentium ſegete, quibus multã illę materiam ſuppeditarit, omnia ſemper laudi propiora.

piora. Acta ejus *privata, publica, Polonica.* Privatim & domi suæ, prudenti dietâ valetudinem sustinet, juratus hostis perditricis animorum & spiritûs ebrietatis ac libidinis. Cujus inter tot illecebras constantia eum fructum sensit, ut domum prole masculâ muniverit, nondum trimestri abhinc in ea ætate, filium ex Conjuge susceperit; Vitæ castè continenterq; transactæ hoc præmium testimoniumq; receperit; & nunc anno ætatis tertio supra quinquagesimum nulli juvenum vivida naturæ bonitate & agilitate corporis cedat. Hanc non medicamentis, non mollitie, sed Venationibus, exercitiis corporis, & laboribus Principe dignis, conservat. Quo in genere equestrium studiorum, confessione Germaniæ, testimonio Comitiorum quorum communis hæc, & nota præsentibus, vox fuit; nullos Principum superiores, paucos pares habet. Conjugio utroq; & felix & prudens, in quo tamen plerique Principum errare solent, sive absentem nec perspectam, sive charam magis quàm profuturam

turam ducentes. Nam Constantia Poloniæ Principe ducta, & uxorem egregiam & dotem magnificam, & splendorem non parvum Domui suæ attulit, quod Uladislaus noster, tantus Rex, Juvenem adhuc Principem, sed jam tum satis sibi præclaro geniorum exploratori, perspectum, sorore unica, sola superstite in Polonia Jagelloniæ domus fœmina dignaretur, & jam tum tantæ spei sciens prudensque (huc enim commendatio illa velut in tabulis tam celebris, tamque efficax spectabat) admoneret; quod ipsi Poloniæ Proceres, qui jure suo sibi postulant de Principum suorum suarumque matrimoniis dispicere, Conjugium hoc non modo aspernati non essent, sed & frequenti plausu prosequerétur, & dotem, aut potius hæreditatem tam Regiam, tam longo Regum studio collectam, & huc velut exoneratam, avehi ægrè non ferrent, quasi præsentiscerent, se ut in Catharina Sveca, cui itidem hoc permissum est, recepturos. Conjugem verò doctissimo

mo dilexerit, quanto illa illum ardore redamaverit, tristi supra Brahely narratione docuimus *prop. 49.* hoc uno infelices, quod sese invicem cum confecta pace Brandenburgica frui optaret, uterque amiserunt. Si quis Manium sensus, si qua cognitio ultra mortem (uti certè tum primum maxima & Liberrima & vera) felix illa & cœlo recepta anima, Constantiæ nostræ, gaudebit charissimo Conjugi & luce magis dilecto, pro tam brevi usura, tam præclaras, tam justas spes, tanta & suæ gentis & orbis studia attulisse, videbitur sibi ipsi per medios suorum plausus vehi, & avito solio in marito superstes esse. Porro eâ morte ita percussus est optimus Princeps, ita altè vulnus pectore accepit, ut ægrè secundis nuptiis animum adjicere posset, sed cunctantem & Domus & Ecclesiæ inevitabilis necessitas impulit; nam si ultimus ipse orbus esset, recassura in agnatos protestantes ditio, & religio Catholica, tot laboribus restaurata, pessum itura erat Igitur, quod mirabilius, ut Catholicæ Ecclesiæ prodesset,

ſet, â proteſtantibus inſtrumentum petivit; Principem acerrimâ in Catholicos domo prognatam educatamq; duxit; & hanc tamen, apud quam vis, impetus, Zelus nil valuiſſent, modeſtiâ, arte, obſequio fregit, medio inter ſponſalia nuptiasque tempore, prius Catholicam, quàm uxorem fecit, prius Ecclesiæ quàm ſibi copulavit; egregio documento dato ſuæ moderationis indiſſidentibus tolerandis, artis in convertendis. Et verò hoc matrimonio, quod volebat, obtinuit. Nam ut priore, rebus ſpe, dignitate, ita poſteriore (& ipsâ Jagellonide) perſonis propagatoribus Domus aucta eſt. Octona maſcula ſoboles, terna fœminea, rarus in aulis numerus liberorum. Sed is oneri magis futurus erat, ſi pater fœcundus tangis futurus erat, ſi pater fœcundus tangis tùm, non etiam prudens eſſet. At ille educatricis diſciplinæ cuncta callet, compendio docturus, nec aliud habiturus, quodagat, quàm ut ſua per veſtigia filios ducat. Et verò eà in illis indoles elucet, quantam & optare ipſe, & exſpectare amici, & invidere hoſtes poſſint.

sint. Sed & aperiendus campus erat, suum cuilibet filio filum velut separatim acui inserendum, ut tanto promptius cum ætate vitæ negotiorum stamina procurrant. Hinc alios regendis ditionibus servat, hos exercitiis studiisque principe dignis occupat, corpora ad labores, ad ferendam aliquando militiam durat; animos omni fortunæ præparat. Si fata cæptis annuerint, si voti in Polonia damnabitur, non plures adducet secum, quàm Respublica, cui liberrimam optionem relinquit, volet patieturque; nullum à reliquis onus habitura, qui quod ad hoc attinet, perinde erunt, quasi non sint. Cæteros igitur, hæreditariis ditionibus relinquet, aut Ecclesiis per Germaniam præcipuis, in quibus bonam eorum partem DEO devovit, qui aliquando Numine vitam occasionemque subministrante, eniti ad summam Episcoporum imò Electorum dignitatem & Ecclesiæ propagationi familiæ ornamẽto, Poloniæ & decori & usui esse possunt. Talis Neoburgicus in *Domo suâ* est, videamus

cm 1 2 3 4 5 6 7 8 9
GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 93, [354] - 348
PUBLIC DOMAIN

deamus qualis in *Principatu suo* sit. Est verò qualis in domo, nempe, ut illic *pater familias*, ita hic *pater patriæ*. Appello tot Polonos, quot ille semper in aula habuit, quis unquam querelas, tumultus, obnixus subditorum audivit? Illud emm semper invigilavit, ut pacem, ut affluentiam subditis præstaret, ut commercia proveheret, & in gente Batavis vicina, harum rerum & suetà & capace, Rheni pleno jam in mare alveo ruentis, commoditatem habente, sibi occasionique non deesset. Dedit igitur in parvo documentum, quid in magno ei præstandum fata servent. Et certè diximus supra præter commercia Poloniæ nihil ad felicitatem deesse; Poloniam expilationibus exterorum apertum latus præbere; habuisse Principes pios, bellicosos, prudentes, nondum huic rei intentos, cùm tamen sola commerciorum ratio turbata pauperes; constituta rectè affluentes terras, efficere possit. *Baconus Verulamius* Angliæ Cancellarius, qui Henrici VII. vitam scripsit, inter ejus summas laudes ponit,

nit, commercia gentis primum ordinasse, cui uni nunc rei Angliæ opes innituntur. Ausim sperare, hoc aliquando Historicos Polonos de PHILIPPO WILHELMO scripturos. Cujus sedata & placita natura quietē & inquiete reconvalescentiam genti præstabit, & rectè ordinatis velut rotis grandis hujus machinæ gente sua bona agnoscente, aduniversalem αὐτάρκειαν (sufficientiam) cunctos deducet. Qua una ratione pravæ monetæ malum radicitus tolletur. Bellis certè princeps noster, *uti impar non est, ita nec inhiat.* *Parē* esse Brandenburgici motus ostenderunt, ubi cum potentiore adversario æquo marte congressus est; *non inhiare* confecta ex sententia utriusque pax, terminata par olim Europæ commovendæ controversia Juliacensis tum, verò tota vita factionum expers, & illa ipsa insolita plerisqne Principibus in bello Germanico inter medias turbas quies ostendit. Porrò qualem Polonis se præstiterit, passim dictum, & plerisque notum est; scilicet, patientem

mode-

modestum, benevolum, prudentem. Cum superstite Rege quicquam movere noluit, Gentis eâ in re indignationem reveritus est, passus est alios præcurrere, ab animis tamen, quantum sine amore, ab animis tamen, quantum sine ambitione liceret, conciliandis, non destitit intempestivis turbis, & in autorum odium abituris abstinuit, tandem & fœderibus initis periclitanti liberrati Electionis succurrit.

Orbi Christiano gratus *Prop. 47.* Polonis nullo *Prop. 48.* amore multo, *Propos. 49.* cognitus, nulli Reipublicæ hostis, *Prop. 50.* nec ita potens, ut nocere nobis possit, *Prop. 51.* nec ulli etiam potenti ita amicus, ut ab illo dependeat. *Prop. 52.* nec viciniâ metuendus *Prop. 53.* Ut verò non nimis potens, ita nec egenus *Prop. 54.* Nulli obnoxius *Prop. 55.* extraneis, & si *utens* tamen *non nitens Prop. 56.* nulli personâ subditus *Prop. 57.* denique ut gente extraneus *Prop. 60.* ita duplicato

cato ſanguine, & ipſe Jagellonigena Polonus, & Jagellonidos bis conjux *Prop. 59.*

Ubi paulo ante virtutes, ita hic virtutum fructus; nam illis dotibus verè Regiis, favorem Orbis meruit, â Cæſare, Gallis, Hiſpanis, Anglis, Batavis, Suecis, Danis, Brandenburgicis commendatur. Credo nec ipſe Turca alium nominaret. Nec diſputo, quo quisque animo faciat, ſatis eſt, omnes alium, quem honeſtè commendent, non invenire. Et verô *Neutrales* omnes Sueci, Angli, Batavi, Brandenburgici regnum, nec ñ in poteſtate electionem haberent, alteri darent; idque non expeculiari amore, conſpiratioque; ſed quod cæteris omnibus minus ſuſpectus timendusque videatur. Non eſt igitur, quòd ſuſpiciemus ſecretas quasdam in nos machinas, cùm nemo vicinum ſuos ſubditos opprimere æquo animo ferat. Nec putemus infinitis promiſſis & largitionibus hæc in tot aulis ſtudia Neoburgico efficienda fuiſſe; quia

quia omnes aulas Neutrales ipsa statûs ratio ad eum inprimis ex Candidatis præsentibus Regem optandum impellit, quia cæteri tres, quisque uni, affectatâ Monarchiâ formidoloso innexi sunt. Rivales verò illi tres & Poloniæ & per Poloniam Monarchiæ Europeæ: *Domus Austriaca*, *Borbonica* & ipse *Moscus* suum quidem quisque optat, Moscus filium, Gallus agnatum, Cæsar Lotharingum; nunc tamen hoc rerum statu, ut suum mallet præ Neoburgico, ita Neoburgicum quisque malunt præcæterorum unoquoque; & si spes sui desperata, videat, Neoburgicum simpliciter & tum demum ex animo commendabit. Inanes igitur metus deponamus: Quasi nimis Gallicisset, qui potissimum se committit Polonis, quibus unis verè *nititur*, quibus solis verè *amicus*, quorum libertatem contra factionem & Reginæ & Condæi nomine abutentem, eâ moderatione defendit, ut & disjiceret machinas adversariorum, & quod mirabile est, tamen nec Regem Christianissimum offenderet, & Regis Sere-

Sereniſſimi Johannis Caſimiri partum ſemel amorem retineret; & tamen nec Cæſari; nec Suecis, Brandeburgicisque nec Neutralibus, Triplifœderis autoribus ſuſpectus nimisque Galliciſſans videretur. Ergo ſolis Polonis Regnum teverà; cæterorum omnibus ſimul, quaſi ſe mutuò impedientibus, ſingulatim nulli debebit; nulli ſubditus, nulli obnoxius, obſtrictusque eſt. Quod feuda ab imperio tenet; id à regni ſui ſalute curandâ, non ipſum magis quàm Hiſpanum, Suecum, Danum avertet. Ergo liberè ſe in Poloniam impendet, aliquot peditum Germanorum millia alet, ac certum Nobilium è Poloniâ Juvenum numerum in peregrinando ſuſtentabit; quiete cuncta componet, pacem cum vicinis non precariam colet, monetam reparabit, commerciorum ac manu facturarum rationem, quæ ſola hactenus, Poloniæ defuit, ordinabit. Tum demum florebimus cùm ad bona ipſi noſtra animum convertemus, aperiemus oculos, ſentiemus fraudes iſtas, quibus Judæi & Chriſtiani & nati-

nativi nos exugunt; desinemus ab exteris petere, quæ apud nos nascuntur, cessabimus plus pecuniæ regno exportare, quàm importetur; parcius aliunde emendicabimus, quæ apud nos, si studium impenderemus, nasci possent; agnoscemus satius rudem ab exteris materiam sumi, dein inquilinorum artibus elaborari, pretium mercedemque nostris hominibus cedere; quàm facilè imitabiles exterorum affanias, speciosiores quàm durabiliores, immani sumtu comparrari. His consiliis patriæ salutiferis, non Juvenis, non impatiens, non impetuosus; Sed Princeps ætate maturus, consiliis gravis, spectaturus, id est solus ex Candidatis *Neobargicus*, cùm Moscus monopolium ipse exerceat; Condæus mercibus Gallicis, unis omnium maximè superfluis (ideoque à Rege Comercia ordinaturo primis omnium abolendis, vel salutem refrænandis) faviturus sit; Lotharingi ætas, studiaque à lentis consiliis planè abhorreant: par esse potest.

Ergo

Ergo NEOBURGICUS utiliter eligetur.

Cum enim omnia Cãdidati requisita juncta im solus Candidatorum contineat, cribratis quodammodo, & exilientibus cæteris, solus in fundo gravior remanebit. Neque verò quòd *Thuscum*, Parmensem, Ragozium, &c. præterierim, vitio versurum quemquam credo. Cuy feos refutem, quos nemo defendit. *Thuscus* illud malum, illum Gallicum morbum, quem ipse domi non sustinet, à quo ægrè sanati sumus, rursus importabit; pacem quam domi non invenit, foris voluntariô velut exilio quærit; egregius quidem Princeps: sed quid Italus & quidem Machiavelli popularis Florentinus despotico dominatui assuetus, naturâ abditus, vita mollis, ad Polonos climate frigidos, regimine liberos, moribus candidos? Eadem *Parmensi* obstant.

Commendat Parmam lac, caseus atq; Butyrum.

Sed hæ non sunt Regiæ dapes, ut nuper qui-

quidam decantatis illis, de Italiæ urbibus, plerisque Versibus usus, per jocum dictitabat. *Ragozius* Austriacis subest, Turcis hostis est, Polonis fuit. Nam & patris ejus nunc quoque apud nos vestigia fætent. Jam potentissimo Vicino hostem, neque gravissimæ in nos offensæ reum eligendum esse, illud *Prop. 50.* hoc *Prop. 48.* demonstratum est. Ut de familia turbulenta, moribus omnique vitâ nihil dicam.

Epilogus.

Quid restat ergo, Carissimi Populares, quid habemus cur moremur? Providentia divina, mirabilis occasionum necessitudinumq; concursus, Reges extranei nostrique; Consensus Orbis Christiani, consensus summorum apud nos Virorum ratio ipsa & necessitas tot requisitorum regularumq; confluxus, Regem nobis velut digito designant: Testimonium orbis, prudentiam rationemq; vestram, demonstrationes meas appello. Rumpamus igitur periculosas patriæ, nonnisi paucis utiles, turbandis tantùm rebus, efficaces moras: PHILIPPUM WILHELMUM DU-

DUCEM NEOBURGICUM, nobis diu notum amatumq́, opibus nec nimium nec contemnendum, in Coronam jam reapse benevolum pretiosam Constantiæ Gazam relaturum prudentiâ admirabilem, bellandi nec inscium, nec cupientem, linguâ, calamo, consilio, mente, manu mirè promtum, tot maximis negotiis parem, gravissimorum certaminum tractatuumq́ felicem confectorem, toti Europæ gratum commendatumq́, partibus nullis addictum; ab omnibus adversariis; si domesticum quisque suum obtrudere non possit, laudatum; corporis amabili decore conspicuum, viribus valentem, exercitiis equestribus communi opinione incomparabilem; quod filiorum adducendorum numerum attinet, omnia Reipublicæ arbitrio commissurum; Catholicum sed sine dissidentium odio, ætate maturum, sed sine virium decremento: extraneum, sed loco tantùm; stirpe verò Polonum, Casimiri Regis Poloniæ, Jagellonis filii, bis trinepotem. Sanguinis officio, amore, matrimonio, cum Constantia ejusdem Casimiri abnepte, demum & cum Elisabetha Amalia ejusdem bis trinepte; renovatorem. Libe-

ros

ros quater Jagellonidas, bis à patre, bis à matre, raro exemplo æquali ubique gradu habentem; ipsum denique amore Polonorum, genere Majorum commendationibus in nogenere Majorum commendationibus in noxiis exterorum suâ virtute, fortunâ, pietate suffragiis conspirantibus, Polonia alteri patriæ divinitus destinatum:

Regem eligamus.

Index

cm 1 2 3 4 5 6 7
GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 93, [365] - 359
PUBLIC DOMAIN

Index Propositionum.

PROP. I.

Bonum Reipublicæ cum *bona Nobilitatis* in Polonia de jure coincidit. Seu: cum quæritur quid sit utile ReipublicæPolonicæ de Jure quærendum est, quid sit utile Nobilitati Polonicæ.

PROP. II.

Respublica Polonica sibi *sufficit*.

Corollarium: Ergo quando debilitata est, solâ quiete reconvalescit.

PROP. III.

Scopus ejus est: *libertas* quanta maxima *tutò* haberi potest, seu libertas securitate frænata.

PROP. IV.

Quærit Nobilium *æqualitatem* quoad ejus fieri potest.

PROP. V.

Rei militaris rectè studiosa est.

PROP. VI.

Eam in rem Nobilitate sua rectè utitur.

Prop.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 93, [366] - -
PUBLIC DOMAIN

PROP. VII.

Reipublicæ, vel, quod idem est, Nobilitatis Polonæ scopus cum scopo *orbis Christiani* coincidit.

PROP. VIII.

Nobilitatis Polonæ *scopus justus* est.

PROP. IX.

Quicquid est contra *libertatem*, idem est in Poloniâ contra *securitatem*.

PROP. X.

Polonia *debilitata* est, seu tempora Polonis periculosa sunt.

PROP. XI.

Tempore *periculoso* indifferentia fiunt periculosa, periculosa verò periculosiora.

PROP. XII.

Dissidia Polonis præter cæteras gentes periculosa sunt.

PROP. XIII.

Nova, sunt cæteris paribus periculosa.

PROP. XIV.

Omne *Turpe* est periculosum.

Hactenus *præcognita* & velut principia, sequuntur

quuntur *Regulæ* in Eligenda vel forma Reipublicæ, vel perſonâ Regis, ſervandæ.

PROP. XV.

Interregnum in Poloniâ diuturnum ne eſto.

PROP. XVI.

Democratiæ Exercitium in Poloniam non cadit.

PROP. XVII.

Ariſtocratia Polonis periculoſa eſt.

PROP. XVIII.

REX quam primum in Polonia eligitor.

PROP. XIX.

Electio *non per ſortem*, ſed rationalis, eſto.

PROP. XX.

Eligendus *notigenii* eſto.

PROP. XXI.

Eligendus in Regem reapſe nobis Regem ſe præſtato, ſeu per *Vice-Reges* ne imperato.

PROP. XXII.

Catholicus eſto.

PROP.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 93, [368] - -
PUBLIC DOMAIN

PROP. XXIII.

Sed ante ſpem Regni.

PROP. XXIV.

Juſtus eſto.

PROP. XXV.

Prudens eſto.

PROP. XXVI.

Expertus rerum.

PROP. XXVII.

Licet linguæ Polonicæ, dummodo non Latinæ aliarumque, imperitus.

PROP. XXVIII.

Non Puer.

PROP. XXIX.

Corpore vegetus.

PROP. XXX.

Plus animo tamen.

Corollarium. Ergo potius *ſenio*, quàm *pueritiæ vicinus*.

PROP. XXXI.

Licet *ætate* provectus, maximè, ſi *ſtultos* habeat.

PROP. XXXII.

Patiens & modeſtus.

PROP. XXXIII.

Quietus, non bellaturiens.

PROP. XXXIV.

Non è *familiâ* turbulentâ.

PROP. XXXV.

Non violentus in *dissidentes*.

PROP. XXXVI.

Non *Despotico Regimini* assuetus.

Inter seruntur aliquot *Lemmata* de *Amicitia*, *Beneficio* & *Gratitudine* ad solidiorem subsequentium propositionum intellectum.

PROP. XXXVII.

Verus *Amicus* Amici Bona *per se* expetit.

Corollarium. Hinc verè Amicus *magnum* bonum alterius *parvo* suo præfert.

PROP. XXXVIII.

Vera Amicitia non est, nisi *inter sapientes* valde *aut stultos*.

PROP. XXXIX.

Amor verus non nisi *animi* esse potest.

PROP.

PROP. XL.

Amicitia vera non niſi ex intimæ *familiaritatis* converſatione naſci poteſt.

PROP. XLI.

Amicitia vera hodie *inter Principes rara eſt.*

PROP. XLII.

Inter *Reſpublicas*, nulla.

PROP. XLIII.

Beneficium (Damnum) plus *animo* dantis, quàm facto æſtimandum eſt.

PROP. XLIV.

Gratitudo in ſolo *animo* conſiſtit.

PROP. XLV.

Beneficio *Caſuali* nulla gratitudo debetur.

PROP. XLVI.

Nec Beneficio, *voluntario* quidem, ſed tamen *non accipientis*, ſed tertii aut dantis *cauſa* collato.

Nunc reditur ad Regulas eligendi.

PROP.

PROP. XLVII.

Eligendus *orbi Christiano* gratus seu *Amicus* esto.

PROP. XLVIII.

Polonos *non* læserit, seu *hostis Polonis* ne esto.

Coroll. maximè autem *in eodem genere*, in quo *beneficium* flagitat, seu in negotio Electionis *læsisse* non debet.

PROP. XLIX.

Hoc amplius *Amicus* jam tam Pololonis esto, seu cognitæ, ante ambitionis materiam, benevolentiæ.

PROP. L.

Nulli Reipublicæ per se *hostis*, ne scilicet & nobis belli causa sit.

Coroll. 1. Ergo nec ille esto, qui facilè *hostis* alicui Reipublicæ *futurus* videatur.

Coroll. 2. Ergo nec *multis minus gratus* esto.

PROP. LI.

Non potens.

Coroll.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 93, [372] - -
PUBLIC DOMAIN

Coroll. 1. Multo minus Polonia potentior.

Coroll. 2. *Dona*, quæ Eligendus offert, tanto *minora* censenda sunt, quanto ipse potentior.

PROP. LII.

Non *multis*, nec *potentibus* Amicus.

PROP. LIII.

Non *vicinus*.

Coroll. 1. Non *vicinorum Amicus*, multo minus *hostis*.

Coroll. 2. Non *vicinissimus*, seu intestinus.

PROP. LIV.

Non *Egenus*.

PROP. LV.

Nulli *obnoxius*.

PROP. LVI.

Qui Extraneis, etsi *utatur*, tamen non *nitatur*.

PROP. LVII.

Nulli *Personâ subditus* esto.

PROP. LVIII.

Aliud per se *Regnum ne habeto*.

Coroll.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 93, [373] - -
PUBLIC DOMAIN

Coroll. Nec facilè habiturus esto.

PROP. LIX.

Jagellonigena esto, si commode fieri potest.

PROP. LX.

Extraneus esto, seu *Piastus* ne esto.

Coroll. 1. Peregrinis tamen ministris onerare Poloniam non debet.

Coroll. 2. Ergo ex eâ gente non sumendus, quæ *secundo-genitos* perpetuo & dignitate parentum, & territoriis privat.

Conclusiones.

CONCLUSIO I.

MOSCHIUS utiliter non eligetur.

CONCLUSIO II.

CONDÆUS utiliter non eligetur.

CONCLUSIO III.

LOTHARINGUS utiliter non eligetur.

CONCLUSIO IV.

NEOBURGICUS utiliter eligetur.

Ne quod restat chartæ, prorsus vacaret, adjeci,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 93, [374] - -
PUBLIC DOMAIN

adjeci, & applicui breviſſimè *Conditio-nes, Candidati*, conſtitutas tum ab Autoribus *Nexus* vel confœderationis inter *Proceres* Regni complures anno 1659. conſenſu, imò & Autoritate Regis & Reginæ initi, cui & Georgius Sebaſtianus Lubomirskius regni Mareſchallus ſubſcripſit, in cujus membro ſecundo, ut ipſe in edita Apologiâ refert pag. circiter 14. Requiſita Candidati continentur.

Requiſita Nexûs de Anno 1659.

Concordibus votis annuimus, quod Candidatus Regni ſequentia debeat habere requiſita, juxta quæ trutinari & inquiri debebit.

I. *Ut ſit Romano-Catholicus (Adde Prop. 22.)*

Hoc ſolùm ex quatuor Candidatis *Moſchum* excludit.

II. Ne ſit Piaſtus, id eſt Polonus, ſeu Indigena. *(Adde Prop. 60.)*

III. Ne ſit Diademate redimitus & aliorum

aliorum Regnorum Dominus. (*Adde Prop. 58.*

Hoc excludit directè *Moſcum*, indirectè & *Condæum* & *Lotharingum*, qui quorumve familia ad alia quoque regna facilè venire poteſt, & in eâ jus ſucceſſionis habet aut habitura eſt. *Vide in Scholiis Prop. 58.*

IV. Ne ſit vicinus Sarmatiæ noſtræ ob potentiam formidandus (*Adde Prop. 51. 52. 53.*)

Hoc excludit *Moſchum* vicinum & potentem, & *Lotharingum* vicini & potentis nempe Domus Auſtriacæ Clientem, Illum directè, hunc indirectè.

V. Ne ſit ex duabus Domibus æmulis in Europâ. (*Adde Prop. 47. 50. 51. 52.*)

Id eſt nec ex domo Auſtriacâ, nec ex domo Borbonicâ, ſeu nec Gallicanæ, nec Hiſpanicæ Monarchiæ implicitus, hoc excludit directè *Condæum*, qui immediatè eſt ex Domo Borbonicâ; indirectè *Lotharingum*, qui Domûs Auſtriacæ gener deſignatus, miniſter, cliens, alumnus, ſtipendiarius, Sacramento obſtri-

obstrictus, obnoxius, intimusque amicus est.

VI. Ne sit puer, aut annis gravis.
(*Adde Prop. 28. 29. 30. 31.*)


Prior hujus requisiti pars excludit *Moschum*, posterior *minimè*, ut quidam persvadere aliis conantur, excludit *Neoburgicum*, neque enim ille annis gravis est, qui paulò ante filium suscepit, qui corpore vegetus, venationibus se & equestribus studiis oblectat; Consiliis; calamo, manu promtus est, dies noctesque negotiis continuat, maximas res curasque animo solus agitat & complectitur.

VII. Ne sit uxoratus, ut ducere possit in Conjugem Marchionissam Neptem ex Sorore Reginalis Majestatis.

Hæc conditio pro illius temporis statu ascripta erat, cujus nunc rationem habet nemo.

FINIS.


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 93, [377] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 93, [378] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 93, [379] - -

PUBLIC DOMAIN

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 93, [380] - -


PUBLIC DOMAIN

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 93, [381] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 93, [382] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 93, [383] - -